Ex dono
R. D. Stephani Pawlicki

Na pamiątkę od Twego
przyjaciela
J B Wodkiewicz

Poznań pierwszego
dnia wiosny —
1839

DEVOTIONES SELECTÆ
Per Piissimos Authores
ADINVENTÆ.
In Usum Hominis Christiani
Cum
CALENDARIO EXHIBENTE
Methodum Practicam
Benè moriendi, Exemplîs
SANCTORUM
In singulos Anni dies
JLLUSTRATO
Superiorum Permissu
REIMPRESSÆ.
Annô Domini 1771.

LOVICII
Typis suæ Celsitudinis Primatialis,
Archi-Episcopi Gnesnensis.

Domine DEUS ſalutis meæ, intret in Conſpectu Tuo Oratio mea; Inclina aurem Tuam ad precem meam. *Pſalm.* 87.

Domine exaudi Orationem meam; Auribus percipe obſecrationem meam. *Pſal.* 142.

Domine, doce me orare. *Lucæ* 11. 1.

Sic ergo vos orabitis. *Matt.* 6. 9.

EXERCITIUM MATUTINUM

Expergefactus dic:

Vivat JESUS Amor meus, Et MARIA Mater Ejus.

Deinde cruce signans frontem, os, & pectus.

JESUS Christus crucifixus sit in omnibus meis cogita † tionibus, ver † bis, & ope † ribus. Exurgat DEUS, & dissipentur inimici ejus, & fugiant, qui oderunt eum, à facie ejus.

Sancte DEUS, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nobis.

Per signum † Crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster.

Dum surgis.

IN Nomine DEI Patris, qui me creavit, & Filii, qui me pretiô Sanguinis sui rede-

maximè autem pro beneficio Creationis, Conſervationis in vita, Redemptionis, Nativitatis in Catholica Fide, Sanctificationis, Prædeſtinationis, Vocationis ad ſtatum (*ſi jam in perfecto es.*) Aliorumquè ſpecialium donorum offero omnes actiones meas hodiernas, & totiùs vitæ meæ, omneſq; motùs mentis, & corporis, & omnia peragere, & ſuſtinere deſidero ex hac in Virtute Obedientiæ, ſolum ob Tuam Divinam voluntatem, & Beneplacitum, in Unione illius puriſſimi Amoris, quo Tu Voluntatem Patris in omnibus perfeciſti. Peto inſuper cunctas tam pro vivis, quàm pro Defunctis, quàm poſſum lucrari, Indulgentias, eaſq; applico Animabus in purgatorio, rogans Te per pretioſiſſimum Sanguinem Tuum, quem pro nobis effudiſti, ut omnes Animas, maximè verò N. è purgatorio liberare digneris, ut in Regno gloriæ Tuæ Te laudet, amet, & glorificet in æternum.

Si es Religioſus, adde.

AD hæc renovo Vota mea, ac denuo novo fervore promitto Obedientiam ſecundùm Regulam S. N. & in finem uſquè ſervare voveo: Sic me DEUS adjuvet, & Sancta Dei Evangelia.

Commenda te Beatæ Virgini MARIÆ.

GLorioſa Dei Mater, & Regina Cœli, Sancta MARIA, Patrona mea ſingularis, ſaluto Te

Te per dulcissimum Cor JESU Christi Tui dilectissimi Filii, & commendo me hodie maternæ pietati Tuæ, ut ad ejusdem Filii Tui gloriam, & salutem meam, proximiq; commodum omnia, quæ facturus sum, rite instituantur, atquè absolvantur: in omni etiam tribulatione, tentatione, angustia, & periculis succurre mihi, o! clemens o! pia, o! dulcis Virgo MARIA.

Commenda particulariter tuam Castitatem.

PEr Immaculatam Conceptionem Tuam, ac Purissimam Virginitatem munda cor meum, & corpus meum, Virgo Mater ante Partum, in Partu, & post Partum.

EXERCITIUM MATUTINUM

Ab Alexandro VII. *& Innocentio* XI. *summe commendatum, quotidie saltem semel exercendum.*

I. ADoro Te o Sanctissima TRINITAS, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, tres Personæ, unus, & solus DEUS, ac opitulante gratia Tua, quàm supplex imploro, dejicio me in abysso mei nihili, sub conspectu Divinæ Majestatis Tuæ.

II. Credo firmissime paratus mille vitas profundere in contestationem omnium eorum, quæ nobis in sacra Scriptura revelasti, & per Ecclesiam Tuam credenda proposuisti.

III. Omnem spem meam in Te colloco, &

quidquid possum habere boni sive spiritualis, sive corporalis, tam in hac, quàm in altera vita, id totum desidero, spero, & volo solum consequi de manu Tua DEUS meus, vita mea, & unica spes mea.

IV. Consigno Tibi hodie, & in perpetuum corpus, & animam meam, omnes potentias meas, memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus meos.

V. Protestor me non consentire, neq; consensurum unquam, quantum in me est, in ullam rem, quæ fiat vel cum *minima* offensa Tuæ Divinæ Majestatis.

VI. Propono firmissime impendere omne esse meum, facultates, ac vires meas ad servitium, & gloriam Tuam.

VII. Paratus sum suscipere, quascunq; adversitates mihi paterna Tua manus immiserit, ad dandum gustum beatissimo Cordi Tuo.

VIII. Vellem me totum, quantus quantus sum, impendere, & procurare, ut ab omnibus Tibi serviatur, atq; omnes homines Te glorificent, & ament D E U M Creatorem suum.

IX. Gaudeo summe de Tua æterna felicitate, & exulto de Tua tam magna gloria in Cœlo, & in terra.

X. Gratias Tibi ago infinitas pro innumeris beneficiis, quæ mihi, & toti mundo, B. V. ac SS. Humanitati Christi collata sunt, & in dies incessanter à benignissima Tua Providentia conferuntur.

XI. Amo Tuam infinitam Bonitatem propter ſeipſam, ex toto affectu cordis, & animæ meæ, & vellem, ſi poſſem, Te amare eo amore, quo Te amant Angeli, & homines Juſti, B. Virgo, & Chriſtus Dominus, cum quorum amore conjungo imperfectiſſimum amorem meum.

XII. Offero Divinæ Majeſtati Tuæ in unione meritorum Paſſionis, Vitæ, & Mortis Chriſti, B. ſemper Virginis, & omnium Sanctorum ex nunc pro ſemper, omnia opera mea pretioſiſſimo Sanguine JESU Redemptoris noſtri lota, & involuta.

XIII. Statuo omnino participem me facere, quantum poſſibile eſt, Indulgentiarum per preces, & actiones hujus diei, & illas applicare per modum ſuffragii pro animabus Purgatorii.

XIV. Volo etiam omne illud, quod poſſum, offere in pœnitentiam, & ſatisfactionem meorum peccatorum.

XV. DEUS meus, cum Tu ſis infinite dignus omni amore, & ſervitio; ſiquidem tu es, qui es; doleo ex toto corde de omnibus meis peccatis, illaq; deteſtor ſuper omnia alia mala, quia Tibi DEO meo, quem ſuper omnia amo, ſummopere diſplicent; peto humillime veniam, facioquè firmiſſimum propoſitum nunquàm offendendi Tuam Bonitatem in æternum.

XVI. In Tua vulnera me projicio, o JESU, ibi me abſconde, & defende hodie, & ſemper, donec mihi largiaris gratiam videndi Tui, & amandi in æternum.

 JESU,

JESU, MARIA, & JOSEPH, Vobis dono meum cor, & animam meam nunc, & in perpetuum, Amen.

ORATIONES SUB MISSA.

UNum ex præcipuis Christianæ pietatis Officiis est, Missæ sacrificio devotè & frequenter assistere: fructus enim quos inde percipimus, amplissimi sunt. Quoniam hac oblatione merita Passionis Christi nobis applicantur, gratia rectè vivendi, & remissio peccatorum impetratur: augmentum Divinæ gratiæ ad superandas tentationes confertur: subsidium bonorum temporalium acquirimus, & bonorum omnium Ecclesiæ participes efficimur. Et qui Præsentes intentionem suam cum Sacerdotis intentione conjungunt, simul cum Sacerdote de sacrificio participant, cibiquè Divini gustum & fructum percipiunt.

ORATIO PRÆPARATORIA
Ad audiendam Missam.

OMnipotens æterne DEUS, Creator, Conservator, ac Redemptor meus, ego honorare, laudare, & glorificare te cupio illo summo honore, qui, soli & unicæ convenit Majestati Tuæ, & quo Tibi major exhiberi non potest; atquè id circò coram Altari Tuo constitutus offero hoc sacrificium Sacrosancti Corporis

& Sàn-

& Sanguinis dilectissimi Filii Tui Domini nostri JESU Christi per manus Sacerdotis Divinæ Majestati Tuæ omni possibili pietatis affectu, ex puro amore Tuæ infinitæ bonitatis, secundum sanctissimam ejusdem Domini nostri & sanctæ Matris Ecclesiæ intentionem. Suscipe illud ô Beatissima TRINITAS in unione & amore illo superexcellente; quo id primitùs ab eodem dilectissimo Filio Tuo in primâ Cænâ, & postea in ara crucis oblatum suscepisti, atq; per hoc sacrosanctum sacrificium memetipsum & omnes fideles, effice Tibi gratum holocaustum; & ut per nos Tua sanctissima voluntas ad Divinum Tuum beneplacitum adimpleatur, & magnum Nomen Tuum dignè ubiq; exaltetur & glorificetur ad Tuam æternam gloriam & honorem. Offero Tibi illud in protestationem supremæ excellentiæ & dominii Tui, & nostræ subjectionis & dependentiæ à Te. In perpetuam commemorationem Passionis ac Mortis ejusdem Domini nostri. In honorem augmentumq; gloriæ Beatæ Virginis, totiusq; Curiæ triumphantis. In gratiarum actionem æternam pro omnibus beneficiis sanctissimæ humanitati Domini nostri, Beatæ Virgini Matri ejus, Patronis meis, omnibus Beatis & Prædestinatis, & mihi indignissimo hucusq; collatis, & conferendis in æternum. In satisfactionem peccatorum meorum, omniumq; fidelium vivorum & defunctorum. Singulariter verò pro omni-

bus mihi peculiariter commendatis, omnibusq́, pro quibus orare ſoleo & teneor ad impetrandam defunctis requiem, viviſq; gratiam Te agnoſcendi, amandi, glorificandi nunc & in ſæcula. Suſcipe & perfice hoc deſiderium meum, uberemq́; ad piè id complendum, & audiendum hoc S. Miſſæ ſacrificium gratiam & benedictionem largire, Amen.

Ad Offertorium.

O Æterne Pater & DEUS immenſe, rogo Te per immenſam charitatem Tuam, ut accepta habeas munera, quæ hodie offert in conſpectu Tuo Sacerdos Tuus, & ego cum illo, quamvis indignus peccator. Offero ô ſumme DEUS ſupremæ Majeſtati Tuæ dilectum Filium Tuum in Cruce effuſo Sanguine pro me mortuum. Accipe quæſo Domine DEUS hanc immaculatam Hoſtiam & ſuave ſacrificium, & reſpice ſuper hanc familiam Tuam in Nomine Tuo congregatam, pro qua Dominus noſter JESUS Chriſtus non dubitavit manibus tradi nocentium, & crucis ſubire tormentum. Reſpice obſecro miſericordiſſime DEUS meus in me, & ne avertas faciem à puero Tuo, Tibi enim revelo cauſam meam, Tibi detego anguſtias meas, Tibi animam meam & corpus meum commito. Offero itaquè ô DEUS meus, & in manus Tuas commendo animam meam, ut eam ita conſerves, qualem mihi dediſti. Offero Tibi intellectum meum ut eum illumines,

& ore

& ore Sancti Spiritus fœcundes. Offero voluntatem meam, ut eam Tuæ conformem reddas. Offero intentionem & opera mea, ut cedant ad laudem Tuam, & ad meam proximorumq; salutem. Offero Tibi Parentes, propinquos, & benefactores meos, rogans ut ea, quæ in me contulerunt beneficia, tu omnium Largitor retribuas. Offero Tibi deniq; totam Ecclesiam Tuam, & specialiter eos qui se mihi commendarûnt, deprecans ut omnes tuearis, veniamq; iis tribuas, & ad finem beatum perducas. Rogo etiam, ut in peccato mortali existentibus veniam concedas, & in vera pœnitentia ad Te convertas. Rogo deniq; pro inimicis meis, & pro his etiam, quos quolibet modo offendi, scienter ac ignoranter, ut iis omnibus bona retribuas, & unà mecum in vitam æternam perducas, Amen.

Ad Consecrationem.

O Creator ac Redemptor meus, obsecro Te per conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Tuum, & per conversionem divinæ iracundiæ in misericordiam tempore crucifixionis & Mortis Tuæ, ut virtute hujus consecrationis, me & omnes peccatores convertas, & hujus mysterii participes efficias.

Ad Elevationem

AVe salus mundi, verbum Patris, Hostia sacra, Caro viva, Deitas integra, verus homo, adoro Te & humiliter peto veniam, (*Hic*

ter

ter percutiendo pectus dic.) O bone JESU miſerere mei. O benigniſſime JESU parce mihi. O piiſſime JESU propitius eſto mihi peccatori.

Ad DEUM Patrem.

RESpice Domine ſancte Pater, de ſanctuario Tuo, & de excelſo Cælorum habitaculo, & intuere hanc ſacroſanctam Hoſtiam, quam Tibi offert magnus Pontifex noſter, ſanctus Puer Tuus, Dominus JESUS Chriſtus pro peccatis fratrum ſuorum, & eſto placabilis ſuper multitudine malitiæ noſtræ. Ecce vox ſanguinis ejus clamat ad Te de cruce. Reſpice Domine in faciem Chriſti Tui, qui Tibi uſquè ad mortem obediens factus eſt, nec recedant ab oculis tuis cicatrices ejus in perpetuum, ut memineris, quantam ab eo pro peccatis noſtris ſatisfactionem receperis.

Ad Elevationem Calicis.

SAlve nobiliſſime Sanguis de Latere Domini noſtri JESU Chriſti profluens, totius mundi delicta diluens. O ſacer Sanguis ablue me, O roſee Sanguis purifica me, O pretioſiſſime Sanguis clama ad DEUM Patrem; ut miſereatur mei maximi peccatoris.

Poſt Elevationem.

O Pater Omnipotens, ecce ſacroſanctam hanc Hoſtiam Corporis & Sanginis Unigeniti Tui JESU Chriſti, quam offero in odorem ſuavitatis, ad laudem æternam, in emendationem dignam omnium peccatorum, & in ſuppletionem

nem omnium negligentiarum mearum, ſimul & pro peccatis totius mundi in unione amoris illius, quo Chriſtus JESUS ſplendor & Imago paternæ gloriæ Tuæ, Agnus ſinè macula, ſeipſum Tibi DEO Patri in altari Crucis pro totius mundi ſalute obtulit.

Eia clementiſſime Pater, per ejuſdem Filii Tui vitam innocentiſſimam, ſuſcipe hanc oblationem pro mea omniumq; ſalute. Exaudi & reſpice me benigne, atquè ab omni peccato purum me redde. Sentiat amantiſſime JESU mens mea dulcedinem beatiſſimæ præſentiæ Tuæ, ſentiant & mecum omnes, qui in Cælo, & in terra, & in purgatorio ſunt, ut ineffabilis hujus Sacramenti virtus eos gaudio repleat, efficaciſſimumq; in omnes liquorem deſudet: cujus pars in ſuperiores &Cœleſtes defluens, ipſis augmentum gaudii & gloriæ conferat: pars verò defluens in purgatorium, pœnas eorum mitiget & abbreviet: pars autem defluens in terram, juſtis dulcedinem gratiæ, peccatoribus amaritudinem pœnitentiæ, & afflictis conſolationis ſuavitatem multiplicet.

Exaudi me Pater Sancte per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum & miſerere mei: quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, qui ſedet ad dextram Tuam interpellans pro nobis. Advocatus noſter apud Te, Pontifex ſummus non alieno, ſed proprio perfuſus Sanguine. Hoſtia Sancta, beneplacens & perfecta, in odo-

rem

rem ſuavitatis oblata & accepta. Agnus ſine macula, qui peccatum non fecit, ſed peccata noſtra pertulit, & languores noſtros ſuo livore ſanavit. Hic eſt quem propter peccata populi ſui percuſſiſti, licèt ipſe ſit dilectus Filius Tuus, in quo tibi benè complacuit.

Aſpice inquam dilecti Filii Tui humanitatem, & miſerere ſuper infirmi debilitate. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum. Oro Te Rex Sanctorum, per hunc Redemptorem meum fac me currere viam mandatorum Tuorum, ut ei valeam ſpiritu uniri, qui meâ non horruit carne veſtiri, JESUS Chriſtus in ſæcula benedictus, Amen.

Pro Defunctis.

MEmento etiam piiſſime Domine, eorum qui in ſpe reſurrectionis ad vitam æternam dormiunt, parentum, fratrum, ſororum, propinquorum, amicorum, & benefactorum noſtrorum: inſuper & omnium quotquot in pietate & fide defuncti ſunt. Indulge iis veniam delictorum omnium, & largire iis locum refrigerii, ubi abeſt omnis dolor, & ubi viſio vultûs Tui lætificat omnes Sanctos Tuos in ſæcula.

Hoc magnum pietatis Sacramentum Domine Deus meus ſit illis hodie ſalus æterna, ac perpetua ſanitas, magnum & plenum gaudium de te pane vivo & vero, qui de Cœlo deſcendiſti, & das vitam mundo. De Carne Tua Sancta & benedicta agni videlicèt immaculati, qui tollis

peccata

peccata mundi, fac eos satiari, & potari de fonte pietatis Tuæ, qui per lanceam militis è Latere Tuo manavit, ut consolati, exultent in laude & gloria Tua sancta, Amen.

Ad Agnus Dei.

O Delîcatissime Agne Dei absquè macula, in ligno Crucis flammâ fragrantissimi amoris erga hominem afflate, per Incarnationem, Passionem & Mortem Tuam, miserere nobis, & dona nobis pacem, Amen.

Ad COMMUNIONEM.

DUum Sacerdos Communicat, spiritualis Communio minimè tibi negligenda, si cum fructu Missam audire velis. Est enim Communio spiritualis, desiderium sanctum & vehemens Sanctissimum Corpus & Sanguinem Domini nostri JESU Christi sumendo, quo sine reali Sacramenti sumptione, fructus Sacramenti, id est, unio cum Christo acquiri potest. Primùm itaquè vivam & veram fidem, spem, & amorem circa hoc Sacramentum excita. Deinde aspira ardenti cordis desiderio, & desidera ad Christum, velut ad fontem vivum, ex quo qui biberit, non sitiet in æternum: optaq; te ei per virtutem Corporis & Sanguinis ejus uniri, intimè incorporari.

Tanta autem virtutis ac utilitatis est hæc spiritualis Communio, ut sæpè non minorem adferat fructum & gratiam, quam plerisquè ipsa Sacramentalis: Unde colligitur, quam ea nobis cura esse debeat, maximè cum sæpius una die, nun-

quam sine novo semper gratiæ & charitatis incremento, institui possit.

ORATIO
Pro Communione spirituali.

O Domine JESU Christe, vere agnosco & profiteor me propter nimia peccata mea, quibus Divinam Majestatem Tuam læsi, indignum esse, ut intres sub tectum meum: ideoq; non audeo nec præsumo Te modò suscipere Sacramentaliter: sed scio & credo cum Centurione Te etiam absentem, id est, sine reali Sacrosancti Corporis Tui manducatione, uno solo verbo me posse cibare, curare, ditare, & sanctificare. Veni igitur ô JESU, veni dilecte mi, veni Deus meus in animam meam. Tu qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu sancto per mortem Tuam mundum vivificasti: vivifica me, sana me, sanctifica me, & per virtutem sacrosancti Corporis & Sanguinis sui libera me ab omni peccato, ut dignè Te in conclave cordis mei excipiam, fructumquè hujus sancti Sacramenti percipiam.

Nunc imaginare tibi, quasi verè Sacramentaliter cum Sacerdote communicares: & Christum dilectum Tuum, velut præsentem animô complecteres.

O JESU, JESU, JESU quàm bonus es erga me, qui licèt indignus sim hac mensa Cœlesti, spiritualiter tamen sumendi sacrosanctum

Corpus

Corpus & Sanguinem Tuum gratiam mihi præstas, Bone JESU, munda quæso per hoc augustissimum Sacramentum animam meam à malis & imperfectionibus ejus. Robora eam Cœlesti fortitudine & virtutibus. Da ei hoc semper desiderare & velle, quod Tibi magìs acceptum est, hoc solùm fugere ac nolle, quod tibi displicèt, Amen.

Ad Benedictonem.

DIgnare Domine JESU cum Patre & Spiritu Sancto mihi dare Tuam sanctam benedictionem, uberemquè gratiam Te semper amandi, Tuumquè beneplacitum amplectendi; & exequendi, ut Te pane Angelorum dignè fruar in vita, devotè in metu, beatè in Patria, Am̃.

Deinde facto signo S. Crucis in fronte, recita cum Sacerdote Evangelium S Joannis.

Initium † S. Evangelij secundùm Joannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud DEUM, & DEUS erat verbum. Hoc erat in principio apud DEUM. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à DEO, cui Nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux: sed ut testimonium perhiberet

beret de lumine. Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, mundus per ipſum factus eſt: & mundus eum non cognovit. In propria venit, & ſui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis poteſtatem Filios Dei fieri, his qui credunt in Nomine ejus. Qui non ex ſanguinibus, nequè ex voluntate carnis, nequè ex voluntate viri, ſed ex DEO nati ſunt. Et VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis. (Et vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti à Patre) plenum gratiæ & veritatis. Deo gratias.

ORATIO
Poſt Miſſam.

ECce Pater Cœleſtis, Miſſa jam eſt ſalutis Hoſtia, quam Tu de Cœlis miſiſti in terram. Diſpone nunc benignus quo mei miſerearis, quoniam quidquid pretioſiùs inveni, devotè tibi obtuli: quidquid charius reperi, ſuppliciter præſentavi. Miſi glorioſum Filium Tuum inter me & Te mediatorem; quare ſi me pro mea, uti dignum, deſpicis iniquitate; reſpice me ſaltem miſericors pro dilecti Filii Tui charitate. Omnis namq; ſpes, & fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter me, & propter ſalutem noſtram; in ipſo reſpiro, & in ipſo confixus ad Te peruenire deſidero, non habens meam juſtitiam, ſed eam quæ eſt ex Filio Tuo Domino JESU Chriſto, Amen.

PRO EXAMINE CONSCIENTIÆ *ANTE CONFESSIONEM*

PUNCTUM I.

Gratiæ agendæ pro Beneficiis acceptis.

GRatias ago Tibi, DEUS meus, quod ab æterno me amaveris, quod ex nihilo me condideris, & uſquè in hanc horam conſervaveris, pretioſo Sanguine Tuo me redemeris, Chriſtiana fide me imbui volueris, poſtquè innumera alia tam gratiæ, quàm naturæ beneficia tam benignè collata, mihi tribueris, ac toties pretioſo Tuo Corpore, & Sanguine refeceris; pro his omnibus immenſas Tibi gratias refero, precorq; omnes Angelos, & Sanctos, Beatam Virginem, ac Chriſtum Dominum, ut ipſi pro me Tibi laudes dicant, ac immortales gratias pro me referant.

PUNCTUM II.

Petendum lumen ad cognoſcenda peccata.

DOmine Deus, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, illumina, quæſo, ſplendore gratiæ Tuæ cor meum, ut ſufficienter cognoſcam defectus, & peccata mea, eaquè cum vero cordis dolore, & contritione confitear, ſicut oportet, coram Te, & Sacerdote Miniſtro Tuo, ac plenè pro iiſdem ſatisfaciam, eademq; emendem ad laudem, & gloriam Tuam, & Benedictæ Matris Tuæ, ac

Sancto-

Sanctorum omnium, & ad salutem animæ meæ, Amen.

PUNCTUM III.

Examinanda hic est Conscientia, quid cogitaveris, dixeris, vel feceris, sed & considerandus status, officium, vocatio, &c. sic facile, quid commissione, quid ommissione peccaveris, agnosces.

PUNCTUM IV.

Eliciendus postea Actus Contritionis, & formandum firmum emendationis propositum.

DOmine JESU Christe, verus DEUS, & homo, Creator, ac Redemptor meus.

2. Pœnitet me ex toto corde, quod offenderim Te Dominum, & DEUM meum.

3. Quem amo super omnia.

4. Et propono firmiter ampliùs non peccare, omnesquè peccandi occasiones devitare, confiteri, & implere pœnitentiam, quæ mihi fuerit injuncta.

5. Et in satisfactionem peccatorum meorum, offero Tibi sacratissimam vitam, passionem, ac mortem Tuam, totumq; pretium Sanguinis Tui pro nobis effusi, merita quoq; Beatæ MARIÆ semper Virginis, & omnium Sanctorum, atq; omnia opera mea, & totam vitam meam.

6. Et confido in bonitate, & misericordia Tua infinita, quod per merita pretiosi Sanguinis Tui, mihi remissurus sis omnia delicta mea.

7. Et gratiam uberem largiturus, qua vitam

sancte

sancte instituere, Tibiq; perfecte usquè in finem servire valeam. Qui cum Patre, sanctoq; Spiritu vivis, & regnas DEUS in sæcula benedictus, Amen.

DEUS propitiùs esto mihi peccatori.

JESU Fili David miserere mei.

Ingressus Confessionale, dic:

ECce, Domine, ego vilis peccator, pauper, malus, & indignus venio ad Te, superfluentem abyssum pietatis, ut laver ab omni macula, & munder ab omni peccato, Amen.

Post Confessionem, dic:

P S A L M U S 102.

BEnedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

Benedic anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.

Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas.

Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus.

Miserator, & misericors Dominus, longanimis, & multum misericors.

Non secundum peccata nostra fecit nobis, nequè secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.

Quomodo miseretur pater filiorum, misertus

tus eſt Dominus timentibus ſe; quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum.

Benedicite Domino omnes Angeli ejus, miniſtri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

Benedicite Domino omnia opera ejus, in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, Sicut erat in principio & nunc, &c.

ORATIO
Poſt Confeſſionem.

GRatias Tibi ago pientiſſime JESU, quod me indignum peccatorem ad pœnitentiam patienter expectaveris, veniam, & indulgentiam peccatorum mihi conceſſeris.

Suſcipe, obſecro, hanc humilem Confeſſionem meam, quam feci, & quidquid mihi nunc defuit ad plenam, & ſinceram enumerationem peccatorum meorum, & convenientem pro iiſdem dolorem, Tu ex fonte miſericordiæ Tuæ benignè ſupplere digneris, meq; perfecte abſolutum habere in Cælis: & præſta auxilium gratiæ Tuæ, ut deinceps peccata devitem, ac fidelius Tibi ſerviam, intercedente glorioſa Virgine Genitrice Tua MARIA, & omnibus Sanctis, qui Tibi placuerunt ab initio mundi. Juravi enim, & ſtatui deinceps cuſtodire judicia juſtitiæ Tuæ, Te adjuvante: Qui vivis, & regnas DEUS in ſæcula ſæculorum, Amen.

ALIA

ALIA ORATIO

Post Confessionem, quâ petitur remissio peccatorum per merita Beatæ MARIÆ Virg: & Sanctorum.

SIt Tibi Domine, obsecro, meritis Beatæ semper Virginis Genitricis Tuæ MARIÆ, & omnium Sanctorum grata, & accepta ista confessio mea; & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, & integritate confessiònis, suppleat pietas, & misericordia Tua, & secundùm illam me digneris habere pleniùs, & perfectiùs absolutum in Cœlo. Qui vivis, & regnas, &c.

OBLATIO

Sanctissimæ Conversationis, & Passionis Christi pro peccatis.

O Amantissime Pater, in satisfactionem, & emendationem omnium peccatorum meorum, offero Tibi Conversationem perfectissimam Unigeniti Tui, omnemq; ejus sanctissimam Passionem, quàm ipse pro nobis ingratissimis peccatoribus pertulit ab illâ horâ, quâ idem Verbum Tuum Caro Factum est, usquè ad horam illam, quâ inclinato Capite in Cruce amore valido Spiritum emisit; rogans per merita ejus, ut deleas omnia peccata mea, gratiam conferas, ut eligam potiùs millies mori, quàm ut Te summum Bonum meum, Teque Patrem, ac DEUM meum amantissimum, quem super omnia amo, & amare volo, nun-

quàm ampliùs offendam, & præſtes, ut Te ſo
lum deinceps diligam, ſoli Tibi placere cupi
am, qui ſolus omnem omnium creaturaru
mereris amorem, Amen.

ORATIO

S. Ambroſij ante Communionem.

AD menſam dulciſſimi convivii Tui, pie D
mine JESU Chriſte, ego peccator, d
propriis meis meritis nihil præſumens, ſed d
Tua confidens miſericordia & bonitate, acc
dere vereor, & contremiſco: Nam cor, & c
pus habeo multis criminibus maculatum, me
tem, & linguam non cautè cuſtoditam, erg
ô pia Deitas, ô tremenda Majeſtas! ego miſ
inter anguſtias deprehenſus, ad Te fontem m
ſericordiæ recurro, Ad Te feſtino ſanandus
ſub Tuam protectionem confugio; & quem j
dicem ſuſtinere nequeo, Salvatorem habere ſ
ſpiro. Tibi Domine plagas meas oſtendo: T
bi verecundiam meam detego, ſcio peccata me
multa, & magna, pro quibus timeo: ſpero Do
miſericordias Tuas, quarum non eſt numeru
reſpice ergo in me oculis miſericordiæ Tuæ
Domine JESU Chriſte, Rex æterne Deus, &
homo, Crucifixus propter hominem! exau
me ſperantem in Te! Miſerere mei pleni m
ſeriis, & peccatis, Tu qui fontem miſeration
tuæ nunquam manare ceſſabis, ſalve ſalutar
victima, pro me, & omni humano genere

cruce

cruce oblata! Salve nobilis, & pretioſe Sanguis, de Vulneribus Crucifixi Domini mei JESU profluens, & peccata totius mundi abluens! recordare Domine creaturæ Tuæ, quam Tuo Sanguine redemiſti! pœnitet me peccâſſe, cupio emendare, quod feci, aufer ergo à me clementiſſime Pater, omnes iniquitates, & peccata mea: ut purificatus mente, ac corpore, dignè degustare merear Sancta Sanctorum: & concede, ut hæc ſancta prælibatio Corporis, & Sanguinis Tui, quam ego indignus ſumere intendo, ſit peccatorum meorum remiſſio; ſit turpium cogitationum effugatio, ac bonorum ſenſuum regeneratio, operumq; tibi placentium ſalubris efficacia, Animæ quoquè, & corporis contra inimicorum meorum inſidias, firmiſſima tuitio, Amen.

ORATIO

Alia S. Thomæ Aquinatis.

OMnipotens ſempiterne Deus! ecce accedo ad SACRAMENTUM Unigeniti Filii tui Domini noſtri JESU Chriſti! Accedo tanquam infirmus ad Medicum vitæ, immundus ad fontem miſericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper, & egenus ad Dominum Cæli, & terræ. Rogo ergo immenſæ largitatis Tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fæditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, Veſtire nuditatem, ut te panem Angelorum, Regem Regum, & Domi-

& Dominum Dominantium, tantâ ſuſcipiam reverentiâ, & humilitate, tanta contritione, devotione, tanta puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da quæſo mihi, Dominici corporis, ſanguinis, non ſolum ſuſcipere Sacramentum, ſed etiam rem, gratiam, & virtutem Sacramenti. O mitiſſime Deus! da mihi corpus unigeniti Filii Tui, Domini noſtri, JESU Chriſti, quod traxit de Virgine MARIA, ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari. O amantiſſime Pater! concede mihi dilectum Filium Tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono. Revelatâ tandem facie perpetuò contemplari. Qui tecum vivit, & regnat, in unitate Spiritûs Sancti DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

O R A T I O

Sancti Auguſtini Epiſcopi ad Beatiſſimam Virginem MARIAM ante Communionem.

O Sacratiſſima! ô Sereniſſima! & inclyta Glorioſa Virgo MARIA! quæ Creatorem omnium creaturarum, in Tuo ſacratiſſimo utero fuiſti digna concipere, novem menſibus portare, Solaq; Virgineo ubere lactare; cujus veraciſſimum Corpus, & Sanguinem ego indignus peccator modò ſumere intendo, Tuam humiliter deprecor Miſericordiam, ut apud ipſum pro me peccatore intercedere digneris,

ut

ut tantâ eum ſuſcipiam reverentiâ, & humilitate, tanta contritione, & devotione, tanta puritate, & fide, tali propoſito, & intentione, ſicut expedit ſaluti animæ meæ. Da mihi, quæſo, ô Domina, Dominici Corporis, & Sanguinis, non ſolùm ſuſcipere SACRAMENTUM, ſed etiam rem, gratiam, & virtutem Sacramenti! ô Mitiſſima Domina! da mihi Corpus unigeniti Filii Tui Domini noſtri JESU Chriſti, quod traxit de Virgineo Corpore Tuo, ſic ſuſcipere, ut corpori ſuo myſtico merear incorporari, & inter ejus membra connumerari, ejuſquè vitæ exempla imitari. O Amantiſſima Mater! concede mihi dilectum Filium Tuum, quem nunc velatum in via ſuſcipere propono, revelata tandem facie perpetuò contemplari, Eumq; Tecum amare, & laudare in æternum.

ORATIO

Poſt Communionem.

GRatias ago Tibi, benigniſſime Domine JESU Chriſte, qui me viliſſimum peccatorem admittere dignatus es ad ſplendidum, vivificumquè ſacræ menſæ Convivium. O Bone JESU dilecte mi, chariſſime ſponſe, unica ſpes, & vita animæ meæ! O dulcedo Cordis mei! O æternum bonum meum, melliflue JESU! uni me Tibi intimè ad gloriam Nominis Tui. Heu mihi, Domine JESU quia nimis indigne acceſſi ad hoc Sanctiſſimum SACRA-

MENTUM. Miſerere mei, ignoſce mihi : eg
quod egi, commendo mellifluo Cordi Tuo
mendandum, ad æternam gloriam Tuam,
ad ſalutem omnium. Reſponde, ſatisfac, ſu
ple pro me pleniſſimè, Amen.

S. P. IGNATII Oratio.

ANima Chriſti ſanctifica me, Corpus Chr
ſti ſalva me, Sanguis Chriſti inebria m
Aqua Lateris Chriſti lava me, Paſſio Chri
conforta me, O bone JESU exaudi me, I
tra Vulnera Tua abſconde me, Et nè permi
tas me, ſeperari à Te, Ab hoſte maligno defe
de me, In horâ mortis meæ voca me, Et ju
me venire ad Te, ut cum Sanctis Tuis laude
Te. In ſæcula ſæculorum, Amen.

ORATIO
Poſt Communionem præcipuos Actus Virtutum continens,
Ex Sancto FRANCISCO SALESIO Epiſcopo Genevenſi.

DOmine JESU Chriſte, unice Salvat
meus, ex toto corde Te adoro, & ob ta
tam mihi conceſſam gratiam infinitas grati
Tibi refero. Et qui omni amore dignus e
Te ſuper omnia diligo, doleoquè, quod Te h
tenùs non amarîm, nec in præſenti, inquantu
mereris, Te amem. Et in hujus defectum T
bi offero omnes adorationes, gratiarum acti
nes, affectus amoris, reverentiæ, & gratitu

nis,

nis, quos unquam Tua Sanctissima Mater, omnes Tui Sancti, ac fideles Tui famuli in Curia illa Cœlesti, ac in hac sancta Ecclesia sponsa Tua elicuerunt, ac nunc de facto eliciunt. Doleo ex toto corde, o Domine JESU, & de nulla re magìs dolebo, quam quod Te toties, & multiformiter offenderim, & mihi summe displicet, quod illum dolorem in me non sentiam, qualem summa Tua bonitas, & majestas requirit. Quare humillime per merita sanctissimæ Tuæ Passionis veniam peto, offerens meipsum cum illa Tua benedicta Passione, & omnia, quæ hactenùs toto vitæ meæ cursu in remissionem peccatorum meorum, aut facturus, aut passurus ero; & ut illa confidentia, quod mea peccata condonaturus sis, in Tua infinita bonitate, & clementia fundata est; sic per illam Te deprecor, ut mihi gratiam concedas abundantem me emendandi, & in Tuo servitio usquè in finem perseverandi.

Pia suspiria post Communionem.

INveni, quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam Te, mi JESU, amplector, & amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. Sentiat, obsecro, mens mea virtutem præsentiæ Tuæ, gustet, quam suavis sis, Domine, ut amore Tui capta nil extra Te quærat, nil diligat, nisi propter Te. Tu es Rex meus, nè obliviscaris inopiæ, & tribulationis meæ.

Tu es Judex meus, parce peccatis meis, & miſerere mei. Tu es Medicus meus, ſana omnes infirmitates meas. Tu es Sponſus animæ meæ, ſponſa te mihi in ſempiternum. Tu es Dux, & defenſor meus, pone me juxta Te, & cujuſvis manus pugnet contra me. Tu Victima pro me factus es, & ego Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Tu Redemptor meus es, redime animam meam de manu inferi, & ſalva me. Tu es DEUS meus, & omnia. Quid enim mihi eſt in Cœlo, & à Te quid volui ſuper terram? DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.

Affectus Cordiales.

QUam pulcher es Dilecte mi! quam bonus es, o unicæ deliciæ meæ, JESU Chriſte! Te diligo, O vita mea! O cor meum! O gaudium meum! O ſuavitas ſumma! O ſolum, & omne bonum! O DEUS meus! ad Te ſuſpiro, clamo, anhelo, Te ſtringo intimis medullis, & totis præcordiorum amplexibus, quia Tu es DEUS, ipſiſſima bonitas, amor æternùs, ſapientia inexhauſta, potentia infinita, perfectio abſoluta. Et quid tandem me poterit divellere ab amore Tuo? an voluptas brevis? opes caducæ? honores falſi? an umbræ umbrarum? nugæ nugarum? iſtæ & illæ non facient, O JESU bone, non facient; da Tu gratiam, O amor meus! O DEUS meus!

ORATIO

Post Communionem ad Beatam Virginem.

O MARIA Virgo, & Mater Sanctissima, ecce suscepi Dilectissimum Filium Tuum, quem immaculato utero Tuo Concepisti, Genuisti, lactasti, atquè suavissimis amplexibus strinxisti: ecce cujus aspectu lætabaris, & omnibus deliciis replebaris, illum ipsum Tibi humiliter, & amanter repræsento, & offero Tuis brahiis constringendum, Tuo Corde amandum, Sanctissimæq; TRINITATI in supremum latriæ cultum, pro tui ipsius honore, & gloria, & pro meis, totiusquè mundi necessitatibus offerendum. Rogo ergo Te, piissima Mater, impetra mihi veniam omnium peccatorum meorum, uberemquè gratiam ipsi deinceps fideliùs serviendi, ac deniquè gratiam finalem, ut eum tecum laudare possim per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Alia brevior ad Beatam Virginem.

ANima Virginis illumina me; Corpus Virginis custodi me; Lac Virginis pasce me; Transitus Virginis confirma me. O MARIA Mater gratiæ, intercede pro me; Tibi in famulum suscipe me; Fac me semper confidere in Te; A malis omnibus protege me; In hora mortis meæ adjuva me; Et iter mihi para tutum ad Te; Ut cum Electis omnibus glorificem Te in sæcula sæculorum.

Ad alios Sanctos.

O Beati Spiritus Angelici, qui huic Sanctissimo SACRAMENTO cum summa reverentia, & amore semper adstatis, & Vos o Sancti Dei omnes, ecce Dominum Vestrum, quem Vos in hoc mundo toto corde dilexistis, quemq; Vos o Angeli SS. in terra natum adorastis, eumdem ego in Sanctissimo SACRAMENTO à me susceptum Vobis omnibus, & singulis offero amandum, nec non ad majorem Dei gloriam, & in augmentum Vestri gaudii, & Sanctissimæ TRINITATI præsentandum, & pro meis, totiusquè Ecclesiæ necessitatibus offerendum exhibeo: rogans, ut precibus Vestris veniam nobis delictorum nostrorum impetretis, robur in tentationibus, in afflictionibus subsidium, in vita nostra gratiam, ac sanctam in morte perseverantiam, ut fine bono consummati DEUM deorum videamus, laudemus, & amemus vobiscum per omnia sæculorum sæcula, Amen.

ORATIONES
Ante Venerabile SACRAMENTUM
ADORATIO
Sanctissimi SACRAMENTI.

O Christe JESU, Salvator & Redemptor meus, saluto & adoro Te toto cordis mei affectu in hoc Sanctissimo SACRAMENTO verè præsentem: Desideroquè Tibi per hanc

reparare

reparare omnes irreverentias, prophanationes & impietates contra Tuam supremam Majestatem in hoc SACRAMENTO contentam, commissas.

Coram Divina Majestate prosterno me, Teq; Summa devotione adoro Nomine eorum, qui nunquam Tibi debitum honorem & reverentiam in hoc SACRAMENTO reddiderunt, nec reddent: ut sunt Hæretici, Athei, Judæi, Turcæ, Idololatræ, Magi, Blasphemi: & omnes Infideles.

Adoro Te mi JESU, desideroq; Tibi tantum exhibere honorem, quantum Tibi dedissent, darentquè prædicti omnes simul, si essent vel fuissent fideles, teque tota vita sua debito cultu & recognitione honorâssent.

Adoro Te mi JESU, desideroquè toto ardore cordis mei exhibere Tibi tantùm honoris, laudis, & benedictionis, quantùm damnati Tibi exhibent injuriarum & contumeliarum toto tempore suppliciorum suorum: & quoniam ipsi Te adorare & benedicere nolunt, ego nomine ipsorum Te adoro & benedico.

Adoro Te mi JESU, & hac adoratione cupio Tibi exhibere talem honorem, qualem Spiritûs Sanctus inspiravit, & inspirat sanctissimæ Matri Tuæ, omnibusqè Sanctis ad colendum & adorandum Te, sicut pro Tua Majestate coli & adorari dignissimus es.

Adoro Te mi JESU, desideroquè Tibi ta-

lem exhibere honorem, qualem Pater æternus Tibi exhibet in hoc auguſtiſſimo SACRAMENTO, in quo Tu es ipſius perpetuum holocauſtum.

Et ut hæc mea adoratio magìs ſanctificetur, Tibiquè gratior reddatur, unio eandem cum oratione totius Eccleſiæ, omniumq; Sanctorum, quam Tibi à condito ſæculo exhibuerunt, & uſquè in æternum exhibebunt. Utinam poſſem intra ſacrificium cordis mei aggregare omes illos qui ſunt & erunt capaces Te honorare, amare & glorificare, ut ipſorum nomine & virtute Te honorare valerem. Tu Domine magìs reſpice deſiderium cordis mei, quàm verba oris mei. Et quoniam Te dignè adorare prorſus indignus ſum, Tu, Te ipſum pro me in hoc SACRAMENTO adora, atquè per Te defectum meum ſupple, Amen.

Laus Sanctiſſimi SACRAMENTI.

LAudetur Sanctiſſimum SACRAMENTUM tot laudibus, quot in Cœlo Stellæ, in igne ſcintillæ, in àére atomi, in mari guttæ, in terra pluveres: quot vere flores, æſtate grana, autumnô folia, hyeme nives, & grandines: quot corporeæ in univerſo creaturæ: quia dignus es Domine univerſorum, qui ſub corporeis vini, paniſquè ſpeciebus lates, Verè Tu es DEUS abſconditus. *Iſai:* 45.

Laudetur Sanctiſſimum SACRAMENTUM tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot

ore

ore proferri, quot corde omnium excogitari unquàm potuerunt vel possunt, quia dignus es. Tu Domine Pater noster, qui nos cibas & potas quotidie, cujus semel redempti sumus pretioso sanguine, quasi agni immaculati. 1. *Petri* 1.

Laudetur Sanctissimum SACRAMENTUM tot laudibus, quot omnes Angeli, quot Sanctissima TRINITAS suâ potentiâ depromere, suâ sapientiâ concipere, suâ bonitate optare potest, omni modo, omni loco, omni tempore, in æternum & ultrà, quia dignus es Domine Deus meus, qui mihi donas non tantùm humanitatem, verùm etiam Divinitatem Tuam, Dominus meus, & Deus meus, verè laudabilis & gloriosus, & superexaltatus in sæcula, *Dan:* 3

SALUTATIO
Sanctissimi SACRAMENTI *Altaris.*

SAlve nobilissimum Corpus, & pretiosissime Sanguis Domini mei JESU Christi sub hac panis specie vere præsens, Te adoro tali cultu, & devotione, qua novem Angelorum chori Te venerantur, & colunt. Coram Te procido in spiritu humilitatis, credens, & confitens, quod Tu Dominus meus, & DEUS meus verè hic continearis.

Salve nobilissimum Corpus Salvatoris mei JESU Christi, vera hostia in cruce immolata. Adoro Te in unione illius adorationis, quâ Humanitas

manitas Tua adoravit Divinitatem: & cum affectu totiùs Universitatis ago Tibi gratias, quod pro salute nostra hic delitescere dignaris.

Salve pie JESU, Verbum Patris, Splendor gloriæ, Fons pietatis, Salus mundi, sacra Hostia. Salve JESU Christe, Splendor Patris, Princeps pacis, Janua Cœli, Panis vivus, Virginis partus, Vas Deitatis.

Credo firmissime, quod Tu DEUS meus hic præsens sis, mequè ex hoc SACRAMENTO intuearis, atquè intima cordis mei perspicias. Credo, quod sub hac panis specie non solum Caro, & Sanguis Tuus, verum etiam Deitas, & Humanitas Tua contineantur. Quod licèt intelligere nequeam, adeo tamen firmiter credo, quod vitam, & sanguinem meum pro ea veritate profundere paratus sim.

Coram Te o Sanctissimum SACRAMENTUM cum summa reverentia procido, & cum omnibus Angelis, & Archangelis, cum Thronis, & Dominationibus, cum Cherubinis, & Seraphinis, cumq; omni militia Cœlestis exercitus Hymnum gloriæ Tuæ concino, dicens; Centies millies laudetur Sanctissimum Altaris SACRAMENTUM.

O intima medulla paterni cordis, gratias Tibi ago per mutuam gratitudinem colendæ semper, & adorandæ TRINITATIS, pro eo, quod hoc inæstimabile SACRAMENTUM instituisti, per quod Cæli, & terra reconciliantur,

tur, & immensis gratiarum donis perpetuo replentur.

Glorifico, & magnifico sapientem, & benignam omnipotentiam Tuam: laudo, & adoro omnipotentem, & benignam sapientiam Tuam: benedico, & gratias ago Omnipotenti, & sapienti benignitati Tuæ, Christe JESU, quod prævoluisti, scivisti, & dignatus es in salutis nostræ subsidium hoc præmagnificum SACRAMENTUM instituere.

O unica, & vera fiducia animæ meæ, Christe JESU, Te laudo, Te humilime deprecor, ut in hac hora Te, DEO Patri pro nimiis debitis meis offeras, sicut Teipsum in cruce pro totius mundi reatu obtulisti.

O Christe JESU, dulcis, & unicus amor meus, oculis piissimæ misericordiæ Tuæ respice me indignissimum humiliter coram Te prostratum, atquè peccatorum meorum veniam toto corde poscentem.

O Flos nobilissime de radice Jesse, per ineffabilem amorem prædulcissimi Cordis Tui, miserere mei, & recipe me in gratiam Tuam, propter gloriam Nominis Tui.

O Pater amantissime, offero Tibi hunc dilectum Filium Tuum, in perpetuæ laudis Tuæ holocaustum, & in propitiationis peccatorum nostrorum juge sacrificium. Respice, quæso, in faciem Christi Tui, & memento illius copiosissimæ satisfactionis, quam Tibi pro peccatis

nostris

noſtris pependit in cruce, & miſerere noſtri, Amen.

O R A T I O
Sancti F R A N C I S C I *Confeſſoris.*
Coram SSmo SACRAMENTO.

O Domine Deus meus, qui es Tu, & quis ego! Ecce hîc flecto ante Te, Domine, tanquam mendicus ante divitem, petens, ut divitias gratiæ Tuæ mihi pro modulo meo impertiri velis.

O Domine JESU, hîc flecto ante Te, ut ſervus ante Dominum, petens cibum & potum Corporis &Sanguinis Tui, ſimul & veſtem charitatis, quæ multitudinem operit peccatorum.

O Domine, hîc flecto ante Te ut reus ante Judicem terribilem, petens ut mihi judex pius eſſe velis, quando anima mea à corpore ſeparabitur, & ante tribunal Tuum præſentabitur.

O Domine hîc flecto ante Te, ſicut amicus ante amicum, petens ut eximia charitas Tua trahat me ad Te, liget me in Te, & non permittat me unquam ſeparari à Te.

O Domine, hîc flecto ante Te, tanquam Filius ante Patrem, petens confidenter, ut neceſſaria & ſalutaria quæque mihi provideas, & paternam hæreditatem non denegare velis, A.

Actus breves Virtutum.

CRedo in Te ſuprema Veritas: Revereor te tremenda Poteſtas: Adoro Te immenſa Majeſtas; Benedico te profunda benignitas:

Spero

Spero in te æterna felicitas: Amo te incomprehensa bonitas: Glorifico te Sanctissima Deitas: Doleo medullitùs quod unquam & usquam offenderim Te.

Petitio Benedictionis.

O Dulcissime sponse animæ meæ JESU, dignare mihi cum Patre & Sancto Spiritu impertiri Tuam sanctam benedictionem, uberemquè gratiam amplectendi semper, & in omnibus, nunc & in hora mortis tuam sanctissimam voluntatem, tequè brachiis dilectionis arctissimè in æternum constringendi, atquè ita vivendi, ut Te pane Angelorum cum perfecta fide, spe, charitate, contritione & resignatione nunc, & sub finem vitæ meæ dignè frui merear, & omnes mecum: quod humillimè peto per lachrymas, sudorem & Sanguinem Tuum, per merita Tua, Beatæ MARIÆ Virginis Matris Tuæ & omnium Sanctorum, Amen.

SALUTATIONES
CORDIS JESU
Ex Libello Gertrudiano.

SAlve Cor JESU dulcissimum, suavissimum Sanctissime TRINITATIS organum. Salve Cor JESU mellifluum, omnis bonitatis, & gratiæ vivum profluvium. Salve Cor JESU amantissimum, omnium divitiarum DEI nobilissimum Triclinium. Millies, & millies benedico, & saluto Te in Divina bonitate, qua es

fons

fons, & origo, ex qua omnis bonitas, & miſericordia ſcaturit. O nobile, & pretioſum Cor JESU Chriſti, per mutuam gratitudinem colendæ TRINITATIS ſaluto, & adoro Te in abundantia omnium gratiarum, quæ effluxerunt, & ſine fine effluent in omnes ſanctas, & devotas animas, quas toties irrigaſti, & inebriaſti torrente divinæ voluntatis Tuæ.

O Cor JESU, Cor dulce. O Cor JESU, Cor ſuave. O Cor JESU, Cor amabile. O Cor manans dulcedine, renundans pietate, ſuperefluens charitate. In Tuam intimam medullam immergo meum ſpiritum, & in profundo Tuæ miſericordiæ ſepelio totum pondus iniquitatis, & negligentiæ meæ. Tibi offero omnes meos labores, & ſudores: Tibi dedico omnes meas anguſtias, & miſerias, Tibi commendo vitam, & finem vitæ meæ. O Cor, thymiama dulciſſimum, incenſum ſuaviſſimum, ſacrificium digniſſimum: offer temetipſum ſuper reconciliationis humanæ altare aureum, in ſupplementum omnium meorum, quos vixi, dierum, in quibus DEO non detuli fructum.

Benedico Te Cor JESU nobiliſſimum in illo amore, quo à Spiritu ſancto ex caſtiſſimo MARIÆ Virginis Sanguine es creatum. Glorifico Te Cor JESU dulciſſimum in illo amore, quo à Sanctiſſima TRINITATE omnibus Cœleſtibus bonis es decoratum. Magnifico Te Cor JESU mitiſſimum in illo amore, quo ſemper

erga

erga genus humanum arsisti. Veneror Te Cor JESU benignissimum in illo amore, quo in Cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo Te Cor JESU fidissimum in illo amore quo lancea transverberari, Sanguinemquè, & aquam distillare voluisti.

Te igitur, o superdignissima TRINITAS, per illud superbenedictum Cor laudo, glorifico; & benedico, quod potueris, sciveris, atq; volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumquè abundantiam conferre: & summo, quo possum, affectu, & reverentiâ offero Tuæ supremæ Majestati idipsum Cor dulcissimum, ac unice dignissimum in ea dignitate, qua plenum est divina gratitudine, ac omnimodæ beatitudinis perfectione superexcellens in perpetuum. Orans, ut per illud ipsum supplere, ac perfecte restaurare digneris quidquid mali commisi, & in omni bono neglexi, Am̃.

Adoratio Cordis JESU. Ex lib: Gertr:

ADoro, laudo, & saluto Te, dulcissimum, vernans Cor JESU Christi, ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum, omnisq; dulcedo effluxit, & effluit. Et ex totis viribus cordis mei ago Tibi gratias, quod me semper custodieris, Deoquè Patri pro me laudes, & gratiarum actiones persolveris. Et nunc, o dulcis amor meus, offero Tibi miserum, & indignum cor meum in sacrificium matutinum; & omni, qua possum,

devoti-

devotione includo, & commendo illud dulcissimo Cordi Tuo: rogans, ut divinas tuas influxiones illi infundere, atquè sancto Tuo amore accendere digneris, Amen.

COMMENDATIO
Ad Dominum JESUM,

Quis se Deo commendaverit, peccatum aut vitabit omnino, aut brevi diluet per pœnitentiam.
S. Gertr. l. 3. c. 30. §. 10.

PIe JESU, in unione amoris illius, quo in Cruce Patri Spiritum commendasti, commendo Tibi spiritum, & animam meam, atq; in sacratissimum vulnus dulcissimi Cordis Tui includo, ut in eodem ab omnibus inimici insidiis protegantur. Tu nosti, bone JESU, & ego satìs experior, quàm infirmus, & labilis sim, adeò, ut nec unâ horâ sine Tua speciali gratia in bono persistere, aut ulli tentationi ex me resistere possim. Ideo rogo per reverentiam unionis illius, quâ Humanitas tua causa glorificationis nostræ venerandæ TRINITATI unitur, ut voluntatem meam Tibi unire, & ne contra Te insurgere queat, confortare digneris. In unione innocentissimorum membrorum Tuorum, commendo Tibi singula membra corporis mei cum omni motu suo, ut hac die nunquam, nisi ad laudem, & gloriam Tuam, & propter amorem tuum commoveantur, Am̃.
S. Gertr. l. 5. c. 29.

Cordi JESU Commendatio sui.

COmmendo me Tibi, o bone JESU! intra mellifluum Cor Tuum abſconde me, nec permitte me in æternum ſeparari à Te. Sis mihi in vita ſolatium, in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo Te pro me, & omnibus amicis meis, per lachrymas, ſudorem, & Sanguinem Tuum, Amen.

DEVOTIO
Ad SANCTISSIMAM
TRINITATEM

Laus Sanctiſſimæ Triadis.

O Tres coæquales & coæternæ Perſonæ, DEUS unus & verus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus: qui ſolus habitas æternitatem & lucem in acceſſibilem. Qui fundaſti terram in potentia Tua, & regis orbem terræ prudentiâ Tuâ: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS Sabaoth. Terribilis & fortis, juſtus & miſericors, admirabilis & laudabilis unus DEUS, tres Perſonæ, una eſſentia, potentia, ſapientia & bonitas: una & individua TRINITAS.

Gloria ſit Tibi Patri, qui me creaſti, gloria Tibi Filio, qui me redemiſti, gloria Tibi Spiritui Sancto, qui me ſanctificaſti, gloria ſummæ & individuæ TRINITATI, cujus opera inſeparabilia ſunt, cujus imperium ſine fine manet.

net. Tibi omnes Angeli, Tibi Cœli & universæ potestates hymnos dicunt, & laudes indesinenter concinunt, ut potè Creatori creaturæ, Domino servi, Regi milites, Te Sanctam & individuam TRINITATEM omnis creatura magnificat, omnis spiritus laudat. Te decet laus, Te decet hymnus, Tibi debetur omnis honor, Tibi benedictio & claritas, Tibi gratiarum actio, Tibi honor, virtus & fortitudo DEO nostro in sæcula sæculorum, Amen.

TRES INCOMPARABILES LAUDES,
Quas Christus B. Mechtildem docuit.
l. 1. c. 33.

VEneror & glorifico Te ô Beata TRINITAS, in unione istius ineffabilis gloriæ, quâ DEUS Pater in sua omnipotentia Filium, & Spiritum Sanctum veneratur per sæcula.

Magnifico & benedico Te, ô Beata TRINITAS in unione istius reverendissimæ gloriæ, quâ DEUS Filius in sua inscrutabili sapientia Patrem & Spiritum Sanctum glorificat per sæcula.

Adoro & exalto Te ô Beata TRINITAS in unione istius super dignissimæ gloriæ, quâ Spiritus Sanctus in suâ invariabili bonitate Patrem & Filium superexaltat per sæcula, Amen.

LAUS EFFICACISSIMA
Cum singula verba habent pondus singulare, ex Exercit: S. Gertrud.

TOta efficacia & virtus Divinitatis Tuæ laudet

laudet Te pro me JESU piissime. Tota amicitia & affectus humanitatis Tuæ satisfaciat Tibi pro me. Tota magnificentia & Majestas imperialis Trinitatis glorificet, magnificet, & honorificet Te ipsum, in Te ipso pro me, illa laude altissima, quâ Tu ipse solus Tibi sufficis & omnium creaturarum defectum Tibi metipsi supplens in Te perficis, Amen.

MODUS, DEUM
Efficacissimè laudandi & amandi.

Cum Beata Mechtildis l. 4. c. 22. *anxiaretur, pro eo, quòd DEUM non sufficienter coleret, nec amaret; ait Christus ad eam: Cùm me desideras amare, nec id pro tuo desiderio efficere potes, dic:*

O Bone JESU Laudo Te: & quod mihi in Tua laude deficit, digneris supplere pro me.

Et si vis me amare, dic:

O Bone JESU amo Te, & quod mihi in Tuo amore deficit, digneris supplere pro me, Deoquè Patri amorem cordis Tui offerre pro me.

Et si me dignè vis laudare, tunc dic hæc quinq; verba.

GLoria Tibi dulcissima, nobilissima, fulgida, tranquilla, ineffabilis TRINITAS. *l. 3. c. 3.*

GRA-

GRATIARUM ACTIO
Ad Patrem.

OMnipotens & æterne DEUS, Cœleſtis Pater, qui coæternum Tibi & conſubſtantialem Filium genuiſti, & cum eodem ac Spiritu Sancto ex Te Filioq; Tuo procedente omnia condidiſti, adoro, glorifico, & benedico ſupremam Majeſtatem Tuam, totoquè cordis affectu Tibi gratias ago propter magnam gloriam & infinitam bonitatem Tuam, quam in te ipſo continens, tuiſquè amicis copiosè communicas. Gratias etiam Tibi ago pro ineffabili illa Tua ergà nos dilectione quâ Unigenitum Tuum de paterno ſinu tuo in hanc miſeriarum vallem miſiſti, & poſt triginta trium annorum exilium mortem acerbiſſimam pro ſalute noſtra ſubire voluiſti. Gratias inſuper Tibi ago pro innumeris beneficiis & donis tuis, quæ ſacroſanctæ humanitati Filij Tui Beatiſſimæq; Virgini MARIÆ, omnibus Angelis & Sanctis, univerſiſquè creaturis, maximè verò mihi indigniſſimo ab inſtanti conceptionis meæ in præſentem uſquè diem, tam liberaliter contuliſti; & deinceps conferre non dedignaberis. Gratias Tibi ago, quia tu me, cum nihil eſſem, non ſolum finxiſti, verùm etiam ex immenſa charitate & gratuita bonitate ad immaginem & ſimilitudinem Tuam creaſti. Tu varias propter me creaturas in uſum meum & miniſterium feciſti, Tu me ab exordio vitæ meæ uſquè ad

hanc horam in corpore & anima pavisti. Tu me ab innumeris periculis animæ & corporis præservasti & eripuisti. Tu in peccatis gravissimis me putridum aberrantem, tibi contumeliosum, & mundo scandalosum, tot annis longanimiter tolerasti, nec quod millies atq; millies commerueram, in sceleribus meis me damnasti, sed ad salutis viam, licèt surdum, variis instinctibus atq; modis admonuisti, & reducere fugientem ac renitentem voluisti, donec tandem malitiam meam benignitate Tua superans ad hunc salutiferum vivendi statum me convertisti.

O Pater amantissime, quàm magna & multa est misericordia Tua in me filium Tuum ingratum. Agnosco me Tibi esse obligatissimum, at nescio, nequè valeo Tibi gratias referre condignas. Invoco itaquè JESUM Christum Beatam Virginem & omnes creaturas ad agendas Tibi pro me gratias: & illas, quas ipsæ quocunq; gratitudinis genere Tibi reddiderunt & reddunt, ac in æternum reddituræ sunt: ego illas omnes pro me nunc offero, & unâ cum illis, eodem affectu; ac recognitione.

Et deniquè in signum gratitudinis, ô mi piissime Pater me ipsum, cum omnibus corporis & animæ viribus in perpetuum servum offero, dono, & dedico, humillime rogans! ut hoc qualecunq; munusculum tuâquè Majestate usq;

quaq; indignum acceptare, & in finem in tuo obſequio conſervare digneris.

INVOCATIO
Gratiæ Sancti Spiritus.

O! Divini amor Numinis, Patris omnipotentis, proliſquè beatiſſimæ ſancta communicatio, Paraclete Spiritus, mærentium conſolator clementiſſime. Adeſto mihi quæſo, animamquè meam tuâ præſentiâ amoris tui iaculô: torpentes medullas flammâ tuâ ſalutari penetrans ſuccende; intima mentis meæ ſancti fervoris tui igne illuſtra: ſanctifica templum corporis mei, & conſecra illud in habitaculum tuum: adorna thalamum tuum, & quietis tuæ reclinatorium circumda varietatibus virtutum. Pota me torrente voluptatis tuæ, ut mundanam dulcedinem venenatam deguſtare ampliùs non libeat. Doce me facere voluntatem Tuam, quia DEUS meus es Tu.

O Alme Spiritus, ô præclare artifex, quemcunquè inhabitas, in eo Patris pariter ac Filii domicilium cordis præparas. Veni igitur ô beniгniſſime, dolentis animæ conſolator: veni mundator ſcelerum, & ſpes pauperum: veni refocillator deficientium, & pulcherrimum ſidus navigantium: veni omnium viventium ſingulare decus, & morientium unica ſalus, veni Sanctiſſime Spiritus, veni & miſerere mei, opta & accomoda me Tibi, & condeſcende pro-

pitius

pitius mihi, ut mea exiguitas Tuæ magnitudini, & mea imbecillitas tuo vigori, ſecundùm multitudinem Tuarum miſerationum complaceat. Per JESUM Chriſtum Salvatorem noſtrum, Amen.

O R A T I O
Pro charitate DEI & proximi.

AMantiſſime DEUS, qui in charitate perpetua dilexiſti nos, & in Sanguine Filij Tui lavaſti nos à peccatis noſtris. Per hanc charitatem & ineffabilem miſericordiam Tuam obſecro Te, infunde cordi meo gratiæ Tuæ inextinguibile lumen, quô ſimul ardeat in me juge incendium charitatis: ferveat, operetur & creſcat in me ſemper caſtiſſimus & indeficiens affectus miſerationis, benevolentiæ ac pietatis, qui ad omnes creaturas tuas Tui amore ſe effundat. Reple quæſò animam, ſenſus & affectus meos, ferventiſſima atq; perpetua charitate, ut Te ex toto corde meo in omnibus & ſuper omnia diligam: in Te verò & propter te omnem proximum, omniumquè hominum ſalutem, profectum & commodum ex toto corde amem, quæram & promoveam ad honorem & gloriam Tuam. Aufer à me omnem amaritudinem, livorem, rancorem, indignationem, ſuſpicionem, invidiam, & quidquid ſinceriſſimæ charitati adverſatur, ut de omnibus in ſimplicitate cordis bene ſentiam, neminem temerè judicem, univerſos piiſſimo affe-

ctu cordis in Te diligam, & dulcedinis, benignitatis atquè dilectionis verba & beneficia impendam, Amen.

O R A T I O

Ad Sanctissimam TRINITATEM pro felici morte.

PAter æterne, per vitam & mortem Filij Tui: per omnem bonitatem Te rogo, concede mihi, ut in bono perseverem, & in gratia Tua moriar.

Bone JESU, per ultima illa in cruce prolata verba, quibus Patri Filium commendasti, Te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

Spiritus Sancte Deus, miserere mei, & sancta inspiratione Tua me semper, & potissimum in hora mortis meæ adjuva.

Sanctissima TRINITAS unus Deus, miserere mei, nunc & in fine vitæ meæ, Amen.

OCTO HOMAGIA
DEO PRÆSTANDA.

Homagium I. Summæ, & supremæ Excellentiæ, Domino Vitæ, & Mortis.

ACTUS adorationis.

AGnosco Te, o mi Deus, ut supremum Dominum meum, primum Principium, & ultimum Finem, Auctorem naturæ, gratiæ, & gloriæ, & profundissima cum humilitate me Tibi submitto, Teq; adoro Dominum vitæ & mortis

mortis: Vitam quoquè meam Tibi ſponte ſacrifico in unione ſacrificii Filii Tui Domini noſtri JESU Chriſti in Cruce peracti, & adorationis, quâ Humanitas ejuſdem Domini noſtri JESU Chriſti Beatæ Virginis omneſquè Sancti Te adorarunt in terra, & Te modo adorant & in æternum adorabunt in Cœlo. Omnis terra adoret Te, & pſallat Tibi, pſalmum dicat Nomini Tuo, Domine.

II. *Primæ Veritati.*
ACTUS Fidei.

O Mi Deus! ſuprema, & eſſentialis Veritas, credo Te Unum in eſſentia & Trinum in Perſonis eſſe, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum: credo, teneo, ac profiteor Fidem illam, quam Chriſtus docuit, quàm prædicarunt Apoſtoli, quamq; S. Romana Eccleſia docet, ac profitetur, & ſingulos Catholicæ Fidei Articulos paratus ſum ſanguine meo ſubſignare, & morte mea confirmare, quippe teſtimonia Tua credibilia facta ſunt nimis.

III. *Omnipotentiæ, & Miſericordiæ Dei.*
ACTUS Spei.

OMnipotens, & Miſericors Deus, ſpero per Sanguinem, & merita JESU Chriſti Domini noſtri ab infinita bonitate, ac miſericordia Tua remiſſionem omnium peccatorum meorum, quibus Te ſummum bonum meum, heu, tam graviter offendi. Spero in Te, o Deus

cordis mei, unica ſpes, & conſolatio mea: ſpero firmiſſime, me ab infinita pietate tua obtenturum omnia ad ſalutem neceſſaria, gratiam copioſam, & gloriam ſempiternam, quoniam Tu es Domine ſpes mea, altiſſimum poſuiſti refugium meum.

IV. *Summæ Bonitati.*
ACTUS Amoris.

AMo Te, o amabiliſſime Deus, ex toto corde meo, amo Te ſuper omnia propter infinitam bonitatem Tuam; & vellem, ſi poſſem, amare Te illo amore, quô Te amant omnes Sancti, Beata Virgo, & JESUS Chriſtus Filius Tuus, illaquè charitate, qua Teipſum infinite amas: & ex ſinceriſſimo tui amore doleo, quod te ſæpiùs offenderim; quidquid umquam perpeſſus fuero, vel patiar, omne illud propter amorem tuum offero gloriæ tuæ; Tibi totum me in holocauſtum conſecro, o Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum.

V. *Divinæ Providentiæ.*
Gratiarum Actio.

GRatias Tibi ago infinitas, liberaliſſime Deus, pro innumeris beneficiis mihi, totiq; mundo, maximè verò Electis Tuis, Beatiſſimæ Virgini, ac SS. Humanitati Chriſti à Paterna Providentia, ac liberalitate tua indeſinenter collatis; gratias Tibi ago pro mediis ad ſalutem aptiſſimis mihi, & ſingulis hominibus tam clementer

menter concesis, & pro copiosis naturæ, & gratiæ donis, quibus nos cumulare nunquam desinis. O utinam tantis beneficiis tuis numquam contra te abutamur, sed omnia purissima intentione referamus in te bonorum omnium fontem inexhaustum! in gratiarum actionem offero Tibi, o Pater amantissime, me totum, & omnia mea, & ex animo gaudeo, hæc omnia infinitis titulis tibi jamdudum fuisse debita, quæ tibi novo amoris, & gratitudinis affectu integerrime consecro: & quid aliud nisi meipsum, & omnia mea retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?

VI. *Divinæ Iustitiæ.*

ACTUS Pœnitentiæ.

O Justissime Deus! ego execrabilis peccator coram infinita Majestate Tua, & Bonitate prostratus, corde contrito, & humiliato, confiteor me reum læsæ Majestatis Tuæ infinitæ, veniamquè meorum criminum supplex rogo: detestor ex animo amore tui omnia peccata mea, quibus te amabilissimum DEUM meum tam sæpè offendi, & cum gratia Tua propono firmissime numquam deinceps offendere te summum Bonum meum. O utinam omnes halitus mei sint gemitus dolentis, ac pœnitentis cordis mei, ut per hunc dolorem meum in aliquo saltem tibi satisfacere possem! o justissime scelerum vindex, & misericordissime Pater, hic ure, hic seca, modo in æternum parcas, à judiciis enim tuis timui.

VII.

VII. *Sanctissimæ* TRINITATIS.

ACTUS Glorificationis.

BEnedico Te, laudo Te, glorifico Te, o Sanctissima TRINITAS unus DEUS: Tibi soli laus, honor, & gloria ab omni creatura, nunc, & semper; gloria Patri, qui creavit me, gloria Filio, qui redemit me, gloria Spiritui Sancto, qui sanctificavit me; gloria Patri, qui me sustentat per suam potentiam, gloria Filio, qui me gubernat per suam sapientiam, gloria Spiritui Sancto, qui me sanctificat per suum amorem. Benedicta sit Sancta, & individua TRINITAS nunc, & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

Benedicite gentes, & omnes creaturæ DEUM nostrum, & auditam facite vocem laudis ejus.

VIII. *Divinæ Sapientiæ, Omnipotentiæ, & Bonitati.*

ACTUS Confirmationis.

O Mi Deus infinitæ Sapientiæ, Potentiæ, & Bonitatis! o utinam semper integre exequar SS. beneplacitum tuum, nec unquàm contradicam Divinis tuis præceptis · Tu nosti, Domine, quid mihi ad salutem sit magìs necessarium, & proficuum; Tu solus potes, & vis me salvare: cur ego non desiderem Voluntatem Tuam in me per me, & à me semper, & perfecte adimpleri? o Pater Clementissime! quidquid vis, quantum vis, & quando vis, & ego volo;

volo; fiat tua in me, de me, circa me in omnibus Sanctissima Voluntas in æternum: nam concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore; Tu tantum dirige gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.

ORATIONES
Ad CHRISTUM
SALUTATIO
Ad Dominum JESUM.

B. Gertrudi divinitùs inspirata, quæ præ cæteris eidem multum complacere testatus est.

l. 3 c. 49.

AVe vivificans gemma divinæ nobilitatis. Ave immarcescibilis flos humanæ dignitatis, Ave paradise deliciarum, dulcedo cordis mei & vita animæ meæ. Ave JESU sponse melliflue cum delectamento Divinitatis Tuæ ex affectu totius universitatis salutans amplector Te, & in vultus amoris Tui osculor Te.

ORATIO
S. Bernardi ad Dominum JESUM.

O Bone JESU, ô piissime JESU, ô dulcissime JESU, ô JESU Fili MARIÆ Virginis, plenè misericordiâ & pietate: O dulcis JESU secundùm magnam misericordiam Tuam miserere mei.

O Clementissime JESU, deprecor Te per

illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, & in me respicias miserum & indignum, humiliter veniam petentem, & hoc Nomen sanctum J E S U invocantem.

O Nomen J E S U, Nomen dulce: Nomen J E S U, Nomen delectabile: Nomen J E S U, Nomen confortans. Quid enim JESUS est, nisi Salvator? Ergo JESU propter Nomen Sanctum Tuum esto mihi J E S U S, & salva me, nè permittas me damnari, quem de nihilo creasti.

O bone JESU, nè perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas Tua. O dulcis JESU, recognosce quod Tuum est, & absterge quod alienum est.

O benignissime J E S U, miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt Te Domine JESU, neq; omnes qui descedunt in infernum, ô amantissime JESU, ô desideratissime J E S U, ô mitissime J E S U.

O J E S U, J E S U, J E S U, admitte me in numerum Electorum Tuorum. O J E S U, salus in Te credentium, ô J E S U, solatium ad Te confugientium. O J E S U, dulcis remissio omnium peccatorum.

O JESU Fili MARIÆ Virginis infunde in me

me gratiam, ſapientiam, charitatem, caſtitatem, humilitatem, ut poſſim Te perfectè diligere, Te laudare, Te perfrui, Tibi ſervire, & in Te gloriari: & omnes qui invocant ſanctum Nomen Tuum, quod eſt JESUS, Am.

AMOR JESU.

O! dulcis amor meus! O! omne bonum & deſiderium meum, amo Te, mi Deus, amo Te ex toto corde meo, & tota anima mea, & ex totis viribus meis. Gaudeo de Tua gloria & Majeſtate, Tibiquè illam tam ſincerè faveo, ut ego perire malim, quàm Te vel minimum illius boni, quod es, jacturam facere. Si quid in me eſſet, quo Tu careres id omne Tibi lubens volenſquè traderem: ſed Tu Domine mi Deus, fons es bonorum omnium, ex quo profluxit, quidquid extra Te boni uſpiam fuit, eſt, & erit. Quis Te non amet, ô dulcis amor, ô unicum & omne bonum, ſolùm amore dignum! O! amor qui ſemper uris, & ignis qui ſemper ardes, accende & concrema me, ut Tuo amore cor meum ſemper ardeat, tuiquè deſideriô anima mea jugiter langueat. Da ut integro corde, plenô deſideriô, flammantiq; affectu jugiter aſpirem ad Te, & ſuaviſſimè reſpirem in Te: Te omni creaturæ præferam, & propter Te omni tranſitoriæ delectationi renunciem. O vera & ſumma delectatio mea, hoc unicum peto à Te, ut vehemens amor Tu-

us me totum penetret, repleat, atq; in ſe tranſmutet. Te invoco in animam meam dulcis Deus, Te inclamo, Te grandi affectu requiro, ô ſuavis amænitas intimorum amplexuum. Veni dilecte mi, veni millies exoptate, ut Te intus poſſideam, & ulnis animæ meæ caſtiſſimè complectar. Scribe dilectiſſime in tabula cordis mei dulcem memoriam Tui, nulla unquam oblivione delendam· ut Tui deſiderio ſemper æſtuem, igne amoris Tui totus ardeam, & diluvio charitatis Tuæ penitùs abſorbear. Tu ſolus ſis tota intentio mea, totumq; deſiderium cordis mei. Te mediter interdiu, Te nocte ſentiam in ſopore, Tecum colloquatur anima mea omni tempore. Te ſpiritus meus, Te caro mea, totaq; ſubſtantia mea amet & laudet nunc & in æternum, Amen.

QUINQUE SUSPIRIA

Ad Chriſtum, mirè alta, quæ Chriſtus B. Mechtildem docuit. l. 3. c. 3. 5.

DUlcis JESU, ſuſpiro ad Te in unione iſtius laudis, quæ à Te in omnes Sanctos effluit, in ſuppletionem iſtius laudis, quâ Te omnes creaturæ laudare deberent.

Pie JESU, ſuſpiro ad Te in unione iſtius gratitudinis, quàm Sancti de Corde Tuo trahunt, Tibiquè pro donis ſibi collatis gratias agunt.

Suavis JESU, ſuſpiro ad Te pro meis omniumq;

umq; peccatis, in unione iſtius patientiæ, quâ iniquitates omnium portas & ſuffers.

Amabilis JESU, ſuſpiro ad Te in unione Tui divini, deſiderii, quod in terris pro ſalute hominum habuiſti, deſiderans omne bonum quô homines ad laudem DEI, & ſalutem ſuam indigent.

Bone JESU, ſuſpiro ad Te in unione omnis orationis, quæ ex divino Corde Tuo, & ex cordibus omnium Sanctorum, pro vivis atquè defunctis effluxit, Amen.

LITANIÆ

De Nomine JESU.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos,
Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus, Miſerere:
JESU Fili Dei vivi,
JESU potentiſſime,
JESU fortiſſime,
JESU perfectiſſime,
JESUglorioſiſſime,
JESU dulciſſime,
JESU clariſſime,
JESU mitiſſime,
JESU patientiſſime,

Miſerere nobis.

JESU obedientiſſime,
JESU caſtiſſime,
JESU humillime,
JESU pauperrime,
JESU clarior Sole,
JESU pulchrior Luna,
JESU ſplendidor Stellis,
JESU gemma pretioſa,
JESU Stella maris,
JESU ſapientia æterna,
JESU bonitas infinita,
JESU ſpeculum vitæ,
JESU exemplar virtutum,
JESU decus morum,
JESU zelator animarum,
JESU Pater pauperum,
JESU conſolatio afflictorum,
JESU theſaurus fidelium,
JESU bone Paſtor ovium,
JESU gaudium Angelorum,
JESU Rex Patriarcharum,
JESU Inſpirator Prophetarum,
JESU Magiſter Apoſtolorum,
JESU Doctor Evangeliſtarum,
JESU fortitudo Martyrum,
JESU Lumen Confeſſorum,
JESU Sponſe Virginum,
JESU Corona Sanctorum omnium,

Miſerere nobis.
Miſerere nobis.
Miſerere nobis.

Propitius eſto, Parce nobis JESU.
Propitius eſto, Exaudi nos JESU.

Ab omni peccato,
Ab insidiis diaboli,
A peste, fame, & bello,
A transgressione Mandatorum Tuorum,
Ab incursu omnium malorum,

Libera nos JESU.

Per Incarnationem Tuam,
Per Adventum Tuum,
Per Nativitatem Tuam,
Per Circumcisionem Tuam,
Per dolores Tuos,
Per flagella Tua,
Per Mortem Tuam,
Per Resurrectionem Tuam,
Per Ascensionem Tuam,
Per Gaudia Tua,
Per gloriam Tuam,
Per dulcissimam Matrem Tuam,
Per intercessionem omnium Sanctorum Tuorum.

Libera nos JESU.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis JESU.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos JESU.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis JESU.
JESU Christe audi nos,
JESU Christe exaudi nos.
Kyrie eleison, Christe eleison,
Kyrie eleison

Pater noster, &c.

℣. Domi-

℣. Domine exaudi orationem meam,
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

OREMUS.

DEUS qui gloriosissimum Nomen JESU Christi Filii Tui Domini nostri fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, & malignis spiritibus tremendum atquè terribile: concede propitius, ut omnes, qui hoc Sanctissimum Nomen JESU devotè venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis, & interminabilis beatitudinis obtineant in Cœlis. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIONES
De Passione Domini
ORATIO
Quâ Christus per Passionem membrorum suorum rogatur nobis dimittere peccata

PIissime Domine JESU, obsecro Te per viscera misericordiæ Tuæ, ut sis propitius mihi misero peccatori, & ex infinitis sanctissimæ vitæ & Passionis Tuæ meritis, miseram animam meam mundare & exornare digneris.

Et in primis rogo Te per speciosissimos Pedes Tuos, quibus nos triginta annis humiliter quæsivisti, & quibus pro nobis cruci crudelissimè acclavari voluisti, ut dimittas mihi quid-

quid

quid ſtando vel ambulando contra Te unqàm peccavi. Et fac me viam juſtitiæ de cætero poſt te currere abſquè macula & errore.

Et per ſpecioſa crura & humillima Genua Tua nocte & die pro nobis in oratione proſtrata, & in cruce intolerabili dolore cruciata, dimitte mihi omnem negligentiam & pigritiam in tuo ſervitio: & da mihi in fervore ſpiritûs tibi fideliſſimè deſervire.

Et per venerabiles Manus & Brachia Tuâ, ad orandum & benefaciendum miſeris ſæpè extenſa, & in cruce doloriſiſſimè diſtenta & confixa, dimitte mihi quidquid illicito actu vel contractu unquàm peccavi: & da mihi membra mea ab omni opere malo continere, & in ope ribus juſtitiæ & miſericordiæ fideliter exercere.

Et per ſacratiſſimum Os Tuum, quod verba vitæ æternæ nobis prædicavit, ſeque oratione & abſtinentia, & tandem impiorum ſputis, fellequè & aceto propter nos afflixit; dimitte mihi quidquid peccavi per cibum & potum, perquè verba otioſa & nociva: & exorna me diſcreta ſobrietate & ſtricta continentia oris mei.

Et per miſericordes Oculos Tuos, qui fontes lachrymarum deduxerunt, & in morte fracti fuerunt, propter peccata noſtra: dimitte mihi, quòd oculos meos ſæpiſſimè à te ſummo bono averti: & illumina, figequè interiores oculos meos in Te, Tuaquè divina præſentia.

Et per piiſſimas Aures Tuas, quibus ſæva

Iudæo-

Iudæorum improperia, & mæſtas Matris & amicorum lamentationes audiſti: ignoſce mihi, quòd aures meas internas Tuæ inſpirationi, & externas Superiorum juſſioni obturavi, verbiſq; vanis & nocivis aperui: & da mihi Tuæ & aliorum voluntati promptè & perfectè obedire.

Et per Venerandum Caput Tuum in Jordane baptizatum, humiliatum, ſagitatum, crudeliter verberatum, ſputis & ſanguine maculatum, & ſpineâ coronâ confoſſum: dimitte mihi baptiſmalis innocentiæ pollutionem, ſuperbiam, offenſionemq; multiplicem ſenſuum meorum, & include ſenſus meos ſub ſpinea corona timoris Tui.

Et per divinum Pectus, caſtiſſimum Ventrem, patientiſſimum dorſum, totumquè Virgineum Corpus, nervoſq; & Oſſa, & omnia ſacra membra Tua laboribus & pœnitentiîs continuîs pro nobis attrita, & tandem ineffabili dolore foris & intùs contorta, lacerata, diſcruciata & acerbiſſima morte necata: munda me ab omni inquinamento carnis & ſpiritûs, & exornare me Tua amabili caſtitate, & paupertate, patientia & humilitate.

Et per dulciſſimum Cor Tuum, quod ex incredibili erga nos amore & dolore ruptum & transfixum fuit, & omnibus hominibus intrare volentibus apertum eſt, dimitte mihi quid per cogitationes & affectiones avaritiæ iræ, invidiæ, & carnalis concupiſcentiæ unquàm peccavi:

cavi: & transfige impium cor meum perfectissimo germine charitatis & gratitudinis telô ignitô.

Et per Sanctissimæ Animæ Tuæ virtutes & exercitia, tristitias, & angustias, quibûs in omnibus viribus & effectibus suis se propter inhonorationem Patris, dolores proprios & Matris, damnationem animarum, & delicta omnium hominum super te posita mactavit, præsertim à tempore sanguinei sudoris in horto usq; ad mortem, & maximè cùm in cruce undiquè esset derelicta, & cùm deberet separari à Tuo benedicto Corpore; digneris mihi dimittere peccata, quæ commisi & supplere cuncta, quæ omisi seu negligenter peregi, supra numerum arenæ maris, per irascibilem, rationalem, & concupiscibilem potentiam animæ meæ contra Tuam divinam potentiam, sapientiam, & bonitatem, ex infirmitate, ignorantia, & malitia: & fac animam meam per dona Spiritus Sancti doctam, unctam & promptè nobilem ad omne beneplacitum Tuum: & miserere ejus in egressu suo.

Et per dulcissimi Spiritus Tui resignationem amoremquè fortissimum, qui Te vivificatorem omnium creaturarum mori cōēgit, & per mutationem Divinæ justitiæ in misericordiam tempore crucifixionis & mortis Tuæ: & per Divinitatis & humanitatis Tuæ universalem gratiæ, gloriæ, & beatitudinis plenitudinem perfectionemq;

nemq; infinitam, dimitte mihi, quod Tibi plenam requiem & locum in ſpiritu meo nunquàm conceſſerim: ſed per amorem & voluntatem propriam ſemper Te impediverim & excluſerim. Mortifica propriam voluntatem, & quidquid Tibi diſplicet in me: abſorbe, rape & tranſmuta me totum in Te, & fac me conformem Tuæ Sanctiſſimæ Vitæ & Paſſioni; ut Tibi ſobrio & caſto corpore fideliter ſerviam, & mortificata humiliq; anima perfectè placeam, A.

O R A T I O
ANTE CRUCEM.

DOmine JESU Chriſte Rex, Cœli & terræ, ſaluto, adoro ac benedico Te, quia per ſanctam Crucem Tuam tam mirabili ac carô pretiô mundum redemiſti. O quàm excellentem, pretioſam, ac efficacem Hoſtiam pro nobis in ara Crucis immolaſti! O quantùm laboraſti quantopere còarctatus es, donec Sacrificium, quòd cæperas perficeres! Per lignum ſatanas nos olim ſeduxit; at tu per lignum rurſùs inimicum viciſti; nos clementer redemiſti, & ſalutem æternam nobis acquiſiſti. O pretioſum lignum! O efficax ſignum! O glorioſum, & omni veneratione dignum myſterium! O arbor excellens, quæ fructum vitæ produxit! Amplector te ulnîs animæ meæ, & pro honore & amore ejus, qui in Te pependit, intimè Te oſculor, (hinc oſculare Crucem ſi poſſis, vel terram in honorem ejus.)

Sed,

Sed, eheu; amantissime JESU quo labore, qua latitudine grave illud pondus crucis longa, difficili, & arduâ viâ, ad montem usquè Calvariæ bajulasti? quô dolore & cruciatu Sanctissimæ Manus ac Pedes Tui clavis perforati, ac cruci affixi sunt! Quam crudeliter passus es in ea distendi Corpus Tuum, ita ut dissolverentur juncturæ ac compages membrorum Tuorum, & dinumerari possent omnia ossa Tua! Et quare hæc omnia, nisi ut deleres, quòd adversùs nos erat, chyrographum decreti, & ipsum tolleres de medio affigens illud cruci! ut inquàm in noxio Sanguine Tuo dilueres culpas nostras, & sententiam damnationis in nos latam, aboleres; adeoquè reconciliares omnia, pacificans per Sanguinem crucis, sivè quæ in terris: sivè quæ in Cœlis sunt.

Proinde ô dulcissime Salvator JESU Christe fidelissime Pastor animæ meæ, suscipe me indignam creaturam ac errabundam oviculam Tuam. Pande mihi Cor ac Vulnera Tua, ut in illis unà cum miseriis & iniquitatibus meis abscondar, protegar ac purger. Confige in me carnem meam cum vitiis & concupiscentiis. Extingue omnem superbiam, vanitatem, & omnes affectus pravos evelle: Spiritum quoquè rectum innova in visceribus meis. Excita in me voluntatem seriam & efficacem ad omne opus bonum, ac sincerum tui solius amorem, indefessum cultum, & perpetuum obsequium: ut ab-

ſit mihi gloriari, niſi in Cruce Domini mei JESU Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Tu qui dixiſti: Cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipſum, trahe me poſt Te, ut nihil ſit, quod in æternum me ſeparare poſſit à Te, Amen.

SALUTATIO
Vulnerum Chriſti.

Quæ B. Mechtıldi à Spiritu Sancto inſpirata fuit, quàm ante nec audiverat, nec cogitaverat. lib: 1. 6 6.

SAlvete pretioſiſſima JESU Vulnera, in omni potentia Patris, qui dedit vos. Salvete in ſapientia Filij, qui ſuſtinuit vos, ſalvete in bonitate Spiritus Sancti, qui per vos redemptionem generis humani perfecit. In vos commendó me, in vos abſcondo me, in vos demergo me, ut veſtra protectione liberari merear à facie vaſtatoris.

COMMENDATIO
Sui ipſius in quinque Vulnera Salvatoris.

BEnigniſſimè JESU, in dulciſſimo Vulnere benedictæ Manus Tuæ dexteræ deinceps repono, & repoſita habere peto ac volo omnia opera mea, quæcunq; per gratiam Tuam facturus ſum, eaquè ſic dico ac conſecro honori ac gloriæ Tuæ, ut eorum meritum per vanam gloriam corrumpi planè nolim: ſed ut merces in-

ſegra & copioſa mihi repoſita maneat inCœlis.

II. Benigniſſime JESU, in dulciſſimum Vulnus ſiniſtræ Manus Tuæ immergo omnia vitia & delicta mea, unicè flagitans ut ea roſeo Sanguine Tuo, quem pro ſalute noſtra ex eo profudiſti, ſic aboleas & extinguas, ne coram divino tribunali Tuo me accuſent, & à Te juſto Judice contra me ſententiam damnationis expoſtulent.

III. Benigniſſime JESU, dulciſſimo Vulneri Pedis Tui dextri toto cordis affectu offero, quæcunq; mihi proſpera & jucunda in hâc vita contingere, pio Providentiæ Tuæ conſilio diſponis; illaq; ſic Tuæ Divinæ voluntati unà mecum unio, ut ab ea nulla prorſus tentatione ſeparari aut avelli velim in æternum.

IV. Benigniſſime JESU, in dulciſſimo Vulnere benedicti Pedis Tui ſiniſtri recondo omnes tribulationes, adverſitates, anguſtias, & amaritudines, quas Divinâ Providentiâ Tua totiùs vitæ meæ decurſu mihi vel immittet, vel evenire permittet, eaſquè unio vel conjungo amariſſimis doloribus Tuis: hoc unum deſiderans, ut momentaneum & leve tribulationis meæ, æternæ gloriæ pondus mihi operetur in Cœlis.

V. Benigniſſime JESU, in amoroſum tranſfixi Cordis Tui Vulnus reſigno cor meum cùm omnibus ſuis deſideriis & affectibus, & ea tuis onio & conjungo, ut exinde planè purificata, nunquàm de cætero terrenis valeant implicari, Amen. ORA-

ORATIO EFFICAX.

Quâ DEO Patri in Cruce Chriſtus pendens offertur.

O Clementiſſime Pater, reſpice de ſede magnitudinis Tuæ, & de excelſo Cœlorum habitaculo, & intuere dilectum Filium Tuum tam miſerabiliter & ignominioſe in cruce pendentem & vulneratum, propter eum eſto mihi miſerrimo peccatori propitiùs, & redde me Tibi placentem. In plenam emendationem, expiationem, atquè ſatisfactionem pro omnibus peccatis, exceſſibus & negligentiis meis, & pro omnibus peccatis totius mundi, & in perfectam ſuppletionem meritorum, quæ mihi deſunt, hunc Tibi devotè offero, & ſupplicèter præſento in unione illius amariſſimæ charitatis, quâ Tu eum in mundum miſiſti, & ipſe ſeipſum in ara crucis pro nobis obtulit. Nihil enim chariùs, nihil nobiliùs, nihil pretioſiùs hoc unico Filiô Tuô habeo: ideo hunc ad Majeſtatem Tuam dirigo advocatum meum, hunc conſtituo mediatorem inter Te & me, hunc mitto interceſſorem, per quem confido veniam peccatorum meorum omnium impetraturum, quidquid enim fecit aut paſſus eſt, id omne propter me & redemptionem meam factum eſt. Hic aſſumpſit noſtram humanitatem, ut meam ſanaret infirmitatem, me Tibi placaret, ſe efferret, Tibiquè ſacrificium laudis immolaret, meq; per hoc Tuæ pietati reconcilia-

ret. Hujus infantia in cunis vagiit, pueritia pannîs constricta fuit, adolescentia sudoribûs vexata, jejuniîs macerata, vigiliîs afflicta, itineribus fessa est. Iuventus alapis cæsa; vinculis injecta, sputîs maculata, irrisionibûs illusa flagrîs affecta, lacerata suppliciîs & clavîs cruci affixa est. Hæc est & sit ô Pater Cœlestis placatio mei, & propitiatio Tua. Hic Tuus dilectus Filius, tota spes mea, totaq; fiducia est: si me pro mea, ut dignum est, abjicis iniquitate, respice me saltem misericors Pater pro dilectæ sobolis charitate. Attende in Filio, quo propitieris sereno. Quoties beatæ prolis Tibi parent viscera, contegantur & delitescant in his mea scelera. Quoties rubet pretiosus pio de latere Sanguis diluantur obsecro labes meæ pollutionis. Oro igitur æternæ Pater, mitis ac misericors Deus, ut me participem facias Passionis illius amarissimæ, quàm Filius Tuus Unigenitus pro nobis exolvit, & propter eam mihi propitieris in æternum, Amen.

GRATIARUM ACTIO
Pro Passione Christi.

O Domine JESU Christe, adoro, laudo & glorifico Te, benedico & gratias ago Tibi pro universis miserationibus & beneficiis Tuis. Gratias Tibi ago, ô Fili Dei vivi, quod propter nimiam charitatem, quâ dilexisti me, dignatus es homo fieri, voluisti pro me in stabulo nasci, infans panniculis involvi, fasciolis

ſtringi, in præſepio reclinari, modico lacte ali, paupertatem & egeſtatem tolerare, multiplicibûs laboribûs & æternîs fatigari, ſudore ſanguineo præ anguſtia ſuffundi, ignominiosè comprehendi; indignè ligari, injuſtè damnari, ſputîs fædari, colaphîs & alapîs cædi, veſte alba velut amens indui & illudi, flagrîs crudeliſſimè conſcindi, ſpinîs dire coronari, felle & acetô inhumaniter potari. Tu præclarus veſtitor ſiderum, nudus, contemptûs, vulneratus, & immenſis doloribûs afflictûs pro me pependiſti in cruce, pro me fudiſti puriſſimum Sanguinem Tuum, & pro me mortuus es. Itaq; humiliter Te deprecor mi amantiſſime JESU per has ſanctiſſimas pœnas Tuas, quas ego indignus recolo, & per ſanctam Crucem & mortem Tuam, ut liberes me à pœnis inferni: & perducere digneris quo perduxiſti latronem Tecum crucifixum, Amen.

NB. *Si vis totam vitam & meritum Chriſti tibi emere, & cui volueris applicare, ora pro eo 33. Pater & Ave, Et dabit tibi illud Deus, ſicut revelavit S. Gertrudi l. 4. c. 20.*

LITANIÆ
De Vita & Paſſione Chriſti.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos

Pater

Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nobis.
Spiritus Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus, Miſerere.

JESU cunctis gentibus deſiderate,
JESU in mundum à Patre miſſe,
JESU de Spiritu Sancto Concepte,
JESU Verbum Caro factum,
JESU de Virgine MARIA nate,
JESU pannîs involute,
JESU in præſepio reclinate,
JESU Ubere Virgineo lactate,
JESU à paſtoribus in præſepio cognite,
Miſerere nobis.

JESU à Matre & Magis adorate,
JESU in Templo præſentate,
JESU ulnîs Simeonis excepte,
JESU ab Herode ad necem quæſite,
JESU in Ægyptum deportate,
JESU in Nazareth nutrite,
JESU in Templo invente,
JESU Parentibus ſubdite,
Miſerere nobis.

JESU à Joanne baptizate,
JESU in deſerto tentate,
JESU odiô habite,
JESU contumeliîs vexate,
JESU ſuper Jeruſalem lachrymate,
JESU Rex mitis Jeruſalem ingreſſe,
JESU triginta aureis vendite,
JESU Sanguineo ſudore conſperſe,
JESU oſculo à Juda tradite,
Miſerere nobis.

JESU à miniſtris ligate,
JESU à Diſcipulis derelicte,
JESU Annæ & Caiphæ præſentate,
JESU Alapa à miniſtro percuſſe,
JESU à falſis teſtibus accuſate,
JESU reus mortis judicate,
JESU in Faciem conſpute,
JESU oculis velate,
JESU à Petro negate,
JESU Pilato tradite, } Miſerere nobis.
JESU ab Herode illuſe,
JESU veſte alba indute,
JESU Barrabæ poſtpoſite,
JESU flagellis cæſe,
JESU veſte purpurea indute,
JESU ſpinis coronate,
JESU arundine percuſſe,
JESU ad Crucem poſtulate,
JESU morte turpiſſima condemnate,
JESU voluntati Judæorum tradite, } Miſerere nobis.
JESU Crucis pondere gravate,
JESU tanquàm ovis ad occiſionem ducte,
JESU veſtibus exute,
JESU clavis in Cruce confixe,
JESU in Cruce blaſphemate,
JESU qui pro inimicis Patrem rogaſti,
JESU qui Latroni Paradiſum promiſiſti,
JESU qui Joannem Matri Tuæ in Filium dediſti,
JESU qui Patri Spiritum commendaſti, } Miſerere nobis.

JESU

JESU qui moriens Spiritum tradisti, Miserere n:
JESU de Cruce deposite,
JESU gloriosè à mortuis resurgens,
JESU in Cœlum elevate,
JESU noster apud Patrem Advocate,
Propitius esto, Parce nobis JESU.
Propitius esto, Exaudi nos JESU.
Ab omni malo, Libera nos JESU.
Ab omni peccato, Libera nos JESU.
A subitanea & improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, & odio, & omni mala voluntate,
A peste fame & bello,
A periculis mentis & corporis,
A morte perpetua,
Per mundissimam Conceptionem Tuam,
Per miraculosam Nativitatem Tuam,
Per humilem Circumcisionem Tuam,
Per Baptismum & sanctum jejunium Tuum,
Per labores & vigilias Tuus, Libera nos JESU.
Per agoniam & Sanguineum sudorem Tuum,
Per dolorosam flagellationem & coronationem Tuam,
Per sitim, lachrymas, & nuditatem Tuam,
Per pretiosam mortem & Crucem Tuam,
Per sacratissima quinque Vulnera Tua,
Per gloriosam Resurrectionem & Ascensionem Tuam,
Per missionem Spiritus Sancti,

 In

In die judicii, Libera nos JESU.
Peccatores, JESU, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris.
Ut carnem noſtram cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere ſtudeamus,
Ut crucem noſtram quotidie portare, & Te ſequi valeamus,
Ut Te JESUM Crucifixum ſcire ante omnia ſtudeamus,
Ut relictum à Te nobis exemplum ſequamur,
Ut gratiam Sancti Spiritûs cordibus noſtris infundere digneris.
Ut in gratia, & ſervitio Tuo perſeverantiam nobis dare digneris,
Ut nos numero Electorum Tuorum ſociare digneris,
Ut nos exaudire digneris,

JESU, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Parce nobis JESU.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Exaudi nos JESU.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, Miſerere nobis JESU.
JESU Chriſte audi nos,
JESU Chriſte exaudi nos.
Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon.

℣. *Adora-*

℣. *Adoramus Te Christe, & benedicimus Tibi.*
℟. *Quia per sanctam Crucem Tuam redemisti mundum.*

OREMUS.

OMnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum Carnem sumere, & Crucem subire fecisti: concede propitius, ut & patientiæ ipsiùs habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur. Per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

DEVOTIO

Brevis in Visitatione Sanctissimi Sepulchri Christi in Die Parasceves.

TAndem Sepulchro conderis
Defuncte Christe saxeo
Meum Tibi cor sternerem
Sed Tu jaceres duriùs.
Cur hunc capessis exitum
O incapax exordij
Nostram nisi vis proprio
Humare mortem funere.
JESU Tibi sit gloria
Pro pœna & ignominia
Quas innocens pro noxijs
Non horruisti perpeti.
Qui vivis & regnas misericors
Et Miserator Dominus
In sæcula sæculorum, Amen.

Capitulum

IN die illa Radix Jesse, quæ stat in signum populorum, ipsum Gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum Ejus gloriosum. ℟. Deo gratias.

℣. *Lapsa est in lacum vita mea,*
℟. *Et posuerunt lapidem super me.*
℣. Adoramus Te Christe, & benedicimus Tibi,
℟. Quia per Sanctam Crucem Tuam Redemisti mundum.
Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad Te venit.

O R E M U S.

DOmine JESU, qui horâ Completorij in Sepulchro quievisti, & à Matre Tua mæstissima & ab alijs Mulieribus planctus fuisti, fac nos quæsumus: Tuam Sanctissimam Passionem verîs lachrymîs plangere, nec unquam ea, per quæ iterum crucifigaris, admittere. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c. & Credo, &c.

DEVO-

DEVOTIO
Ad BEATAM VIRGINEM MARIAM.
PARAPHRASIS *ANGELICÆ SALUTATIONIS.*

AVe, gaude & lætare verecunda & ſuperbenedicta Mater Deipara, Angelorum Domina, Cœlorum Regina: Tibi nos jure merito gratulamur, & gratulando Te prædicamus, quæ felici Tuo partu filiorum Adæ maledictionem, in perpetuam vertiſti benedictionem.

Tu ô MARIA verè plena es gratiâ, quæ ab æterno divinitùs electa, ſic benedicta & felicitata es, ut ipſum totius gratiæ, & ſalutis auctorem, Tu ſola concipere ac parere mundo merueris. Te igitur oramus ô Virgo benedicta & Mater plena gratiâ, ut nobis Tuâ gratiâ à benedicto Filio Tuo vel unica Divinæ gratiæ mica contingat.

Tecum ô MARIA eſt Dominus in Corde, Tecum in utero, Tecum ante Partum, in Partu, & poſt Partum; quia & virtus Patris obumbravit Tibi, & Spiritûs Sanctus ſupervenit in Te, & Verbum Caro Factum ex Te proceſſit. Intercede pro nobis apud dilectum Filium Tuum, ut ſicut is Tecum fuit modo planè ineffabili, ita idem quoq; nobiſcum per Spiritum ſuum eſſe ac manere dignetur.

Tu Benedicta es ô MARIA, præcunctis mu-

lieribus totius mundi, quantâvis laude vel ſanctitate conſpicuis, Tu enim ex tot Virginum millibus ſola idonea es judicata, è cujus viſceribus DEI Filius orbi redimendo naſceretur. Eja igitur ô Virgo beata, Inventrix gratiæ, Genitrix vitæ, Mater ſalutis, & præcunctis benedicta, ac benedictus Fructus Ventris Tui JESUS, ut auctor gratiæ, & fons omnis beatitudinis: impetra hoc apud dilectum Filium Tuum, ut qui per Te miſeriæ noſtræ particeps eſſe voluit, per Te quoq; nos participes faciat gloriæ & beatitudinis ſuæ, Amen.

SALUTATIONES
Ad Beatam Virginem.

BEata Virgo promiſit adhuc nuper cuidam ſibi devotæ, ſi cuicunquè dicenti ſequentem orationem cum devotione, ſi fuerit in gratia Dei, aucturam in corde ejus Divinum amorem, ad unam quamq; ſalutationem & benedictionem in oratione contentam: Si verò fuerit in peccato mortali, velle ſe ad ſingulas ſalutationes pulſare ad oſtium cordis ejus ad excitandum illum, ut aperiat id ipſum Divinæ gratiæ. Et adjecit, quòd quandoquis invenerit quenquam in gravibus peccatis, & difficilem converti, quod bonum foret illum excitare, ut bono corde dicat, aut pro ſe dici faciat ſequentem orationem. Et experientià probatum eſt, quod hoc mirabiles effectus in pluribus perſonis generaverit.

AVe MARIA, Filia DEI Patris. Ave MARIA

RIA Mater DEI Filii. Ave MARIA Sponſa Spiritus Sancti. Ave MARIA Templum Divinitatis. Ave MARIA pulchrum Lilium ſplendidiſſimæ TRINITATIS. Ave MARIA Roſa gratiſſima totius Curiæ Cœleſtis. Ave MARIA Virgo Virginum, Virgo potens & plena dulcedine & humilitate, de qua naſci, & de cujus Lacte paſci Rex Cœlorum voluit.

Ave MARIA Regina Martyrum, cujus animam doloris gladius pertranſivit. Ave MARIA, Domina & Magiſtra mundi, cui omnis poteſtas data eſt in Cœlo, & in terra. Ave MARIA Regina cordis mei, Mater, vita, dulcedo, & tota ſpes mea. Ave MARIA Mater amabiliſſima. Ave MARIA Mater admirabiliſſima, Ave MARIA gratiâ plena, Dominus Tecum, Benedicta Tu in mulieribus, & benedictus ſit Fructus Ventris Tui JESUS. Benedictus ſit Sponſus Tuus Sanctus JOSEPH, benedictus ſit Pater Tuus Sanctus JOACHIM, benedicta ſit Mater Tua Sancta ANNA, benedictus ſit Filius Tuus Sanctus JOANNES, benedictus ſit Angelus Tuus Sanctus GABRIEL. Benedictus ſit Pater æternus, qui Te elegit. Benedictus ſit Filius Tuus, qui Te dilexit, benedictus ſit Spiritus Sanctus, qui Te deſponſavit, & benedicti ſunt omnes, qui Te amant & benedicunt, Virgo MARIA, benedic nos Sancta Virgo cum Filio Tuo chariſſimo, Amen.

B. Gertrudis hanc à Domino percepit eruditionem, ut ad minus quotidie Matrem suam beatissimam per ista verba, scilicet.

EIa ergo advocata nostra, illos Tuos misericordes Oculos ad nos converte.

invocaret. Certa, quòd per hoc in hora sua novissima non mediocre solatium obtineret.
l. 4. c. 13.

LAUS MARIÆ.

AVe Domina præcellentissima, & post DEUM inter Sanctos Sanctissima MARIA, quæ Virginea fœcunditate, fœcundaq; Virginitate admirabilis JESUM Christum Salvatorem mundi genuisti. Tu gratissimum DEI Templum, Tu Spiritûs Sancti venerandum sacrarium, Tu adorandæ TRINITATIS nobile Triclinium. Ave singulare Cœli ornamentum, singulareq; terræ præsidium. Ave Ancilla DEI solitaria, & secretissimi Sponsi Sponsa secretissima MARIA. Salve puella amabilis, & Filia gratiæ electa. Tu pudicitiæ nardus fragrantissima. Tu es Turtur illa pudicissima, cujus vox Omnipotentis aures mirificè demulcet: Tu es Columba illa, cujus gemitus Spiritui Sancto modis omnibus placet. Tu Virgo puritatis plusquàm Angelicæ: Virgo ante Partum, Virgo in Partu, Virgo post Partum. Tu desperantium spes oportuna, & auxilio destitutorum adjutrix præsentissima, cujus honori tantum Unigenitus

genitus tribuit Filius, ut quidquid petieris mox impetres, quidquid volueris mox fiet. Tibi Regni Cœleſtis claves, theſauriq; commiſſi ſunt Tu Cherubin honoratior, & Seraphin DEO proximior: Nominis Tui gloriam, dignitatis Tuæ ſplendorem, pietatis Tuæ abundantiam omnis ætas, omnis ſexus, omnis lingua confitetur. Quot ſunt maris guttæ, quot Stellæ Cœli, quot Spirituum Beatorum agmina, quot arborum folia, quot humi gramina, quot aëris atomi, quot ignium flammulæ, quot terræ arenulæ, quot univerſi ſingularia, quot æternitatis inſtantia. quot rerum poſſibilia, toties ex intimo corde Te ſaluto, ô nobiliſſima ô electiſſima, ô pulcherrima, ô præclariſſima, ô glorioſiſſima DEI Mater, & Cœli Regina, Domina mea, Virgo MARIA. Saluto autem Te in unione amoris, & per dulciſſimum Cor dilectiſſimi Filii Tui JESU, atq; omnium Te amantium; meque Tibi commendo in proprium Filium atq; (utinam dignum) mancipium aſſigno. Oro etiam ut me ſuſcipias, & apud DEUM impetres, ut totus ſim poſt Eum, Tuus, & Tu tota mea Domina, gaudium meum, adjutrix mea, Mater mea dulciſſima. Trahe me poſt Te, ut curram alacriter in odorem ungventorum Tuorum. Lætifica ſpiritum meum ô benigna, ut hilariter Tibi ſerviam, & ex intimis viſceribus meis Te diligam. Viſita pupillum gementem & mœrentem; tange cytharam cordis mei,

ut

ut ſuave reſonet in laudem Nominis Tui, Te amet, Te veneretur, Tibi benedicat anima mea in omni tempore & æternitate, Amen.

AMOR MARIÆ.

MEdiatrix DEI & hominum, Mater & Virgo clementiſſima MARIA. Veneror Te ô potentiſſima Cœli & terræ Regina: Ago Tibi gratias ô ſumma benefactrix mea, in Te confido ô fideliſſima Patrona & Advocata mea. Amo Te tenerrime, exoſculor Te ſuaviſſimè, amplector Te fortiſſimè, & ex animo lætor, quòd ſis, quæ es primogenita Filia Patris, dilectiſſima Mater Filii, Sponſa Spiritus Sancti: Ex intimis medullis cordis mei faveo Tibi omnia Tua dona & prærogativas, & plus illa Tibi faveo, quam mihi ipſi: Tum quia certus ſum nunquam me illa ita benè impenſurum fuiſſe, atquè Tu ea impendiſti: tum etiam, quia hunc meum Tui amorem, Tua erga me dilectione & beneficentia jam millies & millies promerita es. Quamobrem ſi ea mea eſſent, quæ Tua ſunt, libens Tibi ultroquè illa omnia tranſcriberem. Si eſſe poſſem, quæ Tu nunc es, is tamen eſſe nollem, ut Tu ſola ſis & maneas, quæ es MARIA. Ita amore Tui inardeſco, ô MARIA, ita diligo Te, ô Mater, ita amplector & exoſculor Te, ô Tu ego, & ego Tu. Tu mihi es, quod ipſe mihi ſum, imò plus mihi es, quàm egomet mihi, imò omnia mihi

es post JESUM super Benedictum Filium Tuum. Patrona mea, Magistra mea, Mater mea, dilecta mea, thesaurus meus; refugium meum, solatium meum, spes mea, vita mea. Quid ampliùs mea amantissima MARIA? totus Tuus sum, quantus, quantus sum: Tuus sum, & Tu tota mea es, idquè in æternum & ultra. Dignare mea Dilectissima per hoc Sanctum Nomen Tuum MARIA mihi esse MARIA, & dare mihi spiritum Tuum. Insere quæso cordi meo hoc amabilissimum Nomen Tuum MARIA, ut ejus dulcedine pascar, ejus amore ardeam, ejus desideriô moriar. O MARIA mea dulcissima, MARIA mea suavissima, MARIA mea jucundissima, fac ut mori nequeam, nisi invocato hoc jucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero Nomine Tuo MARIA, MARIA, MARIA, Amen.

INVOCATIO MARIÆ.

O Clementissima, benignissima, & misericordissima Virgo MARIA Mater Dei, ad sanctitatis Tuæ Pedes corpore & corde prostratus supplex obtestor, ut miserearis servi Tui peccatoris mei miserrimi, multæ enim & graves sunt iniquitates meæ: indignus sum gratiâ, & omnibus miserationibus minor, & àTe Sanctissima, Filioq; Tuo super benedicto exaudiri non mereor. Noli tamen ô Mater misericordiæ ad Te clamantem, & vitam emendare

cupien-

cupientem repellere, quæ gratiæ Tuæ Manum porrigere ſoles ad Te ſuſpiranti.

Memorare ô piiſſima non eſſe auditum à ſæculo quemquam ad Tua currentem præſidia, aut Tua petentem ſuffragia à Te derelictum. Tali animatus confidentiâ, ad Te Virgo Virginum confugio, ad Te curro, ad Te venio, coram Te gaudens ac tremens aſſiſto. Noli ergo immaculata à me tam miſero peccatore faciem Tuam abſcondere; ſed ad me clementer reſpice, & miſericordes oculos Tuos ad me ſpes miſerorum converte. Noli Regina miſericordiæ in me miſero peccatore antiquæ Tuæ miſericordiæ Nomen amittere, & adjutricem Manum Tuam à me retrahere, ſed ſecundùm miſerationum Tuarum multitudinem miſerere mei, & tolle quod metuo, largire quo careo, ignoſce in quo offendo.

Salva me Salvatrix, redime me Redemptrix, adjuva me adjutrix: peccata me gravant, mundus involvit, caro me premit, tentat me hora mortis, & juſti Judicii ſententia me terret. Peccata habeo, merita neſcio, virtutibus èáreo: ſed Tu adjutrix fortis adeſto mihi in tribulationibus, tantis conſule doloribus, exime me tot periculis: aliud ſiquidem neſcio refugium, præter Te & piiſſimum Filium Tuum.

O benigniſſimaMater miſericordiæ peccata mea dele, ſordes meas ablue, cor meum accende, ſpiritum humilia, carnem caſtiga, bona propoſita

posita confirma, hostem remove, redde innocentiam, & confer mihi gratiam. Tu in omni adversitate adjuva me, in cunctis agendis dirige me, DEO placita doce me, obtine mihi spatium vitæ, locum pœnitentiæ, in hora mortis meæ Regnum æternæ gloriæ, Amen.

ORATIO
Sancti EDMUNDI *ad Beatam Virginem* MARIAM, *& simul ad Sanctum* JOANNEM *Evangelistam.*

Quam ipse composuit, & singulis diebus orare consuevit. Et cum una die intermisisset, nocte sequenti apparuit eidem Beatus Joannes Evangelista, austero vultu dicens. Quare omisisti orationem hanc? & baculo quem gerebat in manibus es minitans, mandavit, ne deinceps eam omitteret. Surius *in ejus vita Tom.* 6.

O Intemerata & in æternum benedicta, singularis atquè incomparabilis Virgo DEI Genitrix MARIA, gratissimum Dei Templum, Spiritus Sancti sacrarium, janua Regni Cœlorum, per quam post DEUM totus vivit orbis terrarum. Inclina Mater misericordiæ Aures Tuæ pietatis indignis supplicationibus meis, & esto mihi miserrimo peccatori pia in omnibus Auxiliatrix.

O JOANNES Beatissime, Christi familiaris & amice, qui ab eodem Domino nostro JESU Christo virgo es electus, & inter cæteros magis

gis dilectus, atquè in mysteriis Cœlestibus ultra omnes imbutus: Apostolus enim & Evangelista factus es præclarissimus: Te etiam invoco cum MARIA Matre ejusdem Domini nostri JESU Christi, ut mihi opem Tuam cum ipsa conferre digneris.

O duæ Gemmæ Cœlestes, MARIA, & JOANNES. O duo Luminaria divinitùs ante DEUM lucentia, vestrîs radiîs scelerum meorum effugate nubila. Vos enim estis illi duo, in quibus Unigenitus Dei Filius ob sincerissimæ Virginitatis meritum dilectionis suæ confirmavit privilegium, in cruce pendens uni vestrûm ita dicens: Mulier ecce Filius Tuus. Deinde ad alium, Ecce Mater Tua.

In hujus ergo Sanctissimi amoris dulcedine, quâ tunc ore dominico velut Mater & Filius ad invicem conjuncti estis, Vobis duobus ego miserrimus peccator commendo hodie corpus & animam meam; ut in omnibus horis atq; momentis interiùs & exterius firmi custodes, & pii apud DEUM intercessores mihi existere dignemini. Poscite mihi quæso corporis & animæ salutem. Agite quæso, agite vestrîs gloriosîs precibûs, ut cor meum invisere & inhabitare dignetur Spiritus almus, gratiarum largitor optimus, qui me à cunctis vitiorum sordibus expurget, virtutibûs sacrîs illuminet & exornet, in dilectione DEI & proximi perfectè stare & perseverare me faciat: &

post

poſt hujus vitæ curſum ad gaudia ducat Electorum ſuorum benigniſſimus Paracletus. Qui cum Patre, & Filio vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, Amen.

AFFECTUS
Erga Septem Dolores Beatæ Virginis MARIÆ.

I. AVe dulcis Mater Chriſti, quæ dolebas Corde triſti: Te docente Simeone de diræ mortis mucrone. Sis memor hujus doloris, nunc & in omnibus horis: fac me piè memorari pœnam Nati Tui chari.

II. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ in Ægyptum fugiſti, flens ubi notis carebas, & labore tabeſcebas. Nunc quæſo exilii Tui memor ac Filii, dona mihi Filium Tuum poſt exilium.

III. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolebas Corde triſti, Natum quærens inclytum; tribus diebus perditum. Pro hac Tua mæſtitia fac me in ejus gratia inventum per Te pleniter, perſervare jugiter.

IV. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolens & flens vidiſti captum, vinctum dirè cæſum, plenum probrîs dulcem JESUM. Hujus memor triſtitiæ Mater miſericordiæ, à dæmonis inſidiis ſerva me & opprobriis.

V. Ave dulcis Mater Chriſti, quæ dolens & flens vidiſti cruci nexum, ſpecioſum JESUM, factum ut leproſum. Per dolorem hunc tam

fortem, & per Nati Tui mortem: in hora mortis ultima adsis mihi charissima.

VI. Ave dulcis Mater Christi, quæ de Cruce suscepisti ulnis JESUM jam mortuum, piorum plena fletuum. UlnisTuæ clementiæ fove me Mater gratiæ, cum omnibus fidelibus solamina poscentibus.

VII. Ave, quæ post mortem Christi dolendo, sæpè vidisti cuncta loca martyrii ejus plena suspirii. Ob pænas quas susceperas, ista loca dum videras, da post hæc transitoria mihi locum in gloria. In honore nunc tantorum cæterorumq; dolorum, quos pro Nato Corde tristi Virgo unquam pertulisti, meam Tibi miseriam committens, serva animam, semperq; sis doloribus dulcis adjutrix omnibus.

Adde septem Ave Maria, &c. *in honorem septem Dolorum Beatæ Virginis MARIÆ.*

SEPTEM GAUDIA Beatæ Virginis MARIÆ.

Beata Virgo apparens S. Thomæ Cantuar: Episcopo, dixit: Quicunquè fidelis septem illa Gaudia, quæ nunc in Cælo habeo, recolens, quotidie de his me reverenter salutaverit, ei promitto, quòd in tempore obitus sui ejus animam protegam, & in conspectu Filii mei pro ipsa astabo, & intercedam. Carthag. *de mirand. Deip.* §. 104.

GAude flore virginali, quæ honore speciali transcendens splendiferumAngelorum Principatum,

ciparum, & Sanctorum decoratum dignitate numerum.

II. Gaude Sponſa chara DEI, nam ut lux clara diei, Solis datur lumine; ſic tu facis orbem verè Tuæ pacis ſplendere lucis plenitudine.

III. Gaude ſplendens vas virtutum, cujus pendens eſt ad nutum tota Cœli curia, Te benignam & felicem JESU dignam Genitricem, venerans in gloria.

IV. Gaude nexu voluntatis, & amplexu charitatis, cuncta ſic altiſſimo, ut ad votum conſequaris, quidquid Virgo poſtularis, à JESU dulciſſimo.

V Gaude Virgo Mater Chriſti, quia ſola meruiſti. O Virgo piiſſima, eſſe tantæ dignitatis, quod ſis Sanctæ TRINITATIS, ſeſſione proxima.

VI. Gaude Mater miſerorum, quia Pater ſæculorum, dabit Te colentibus, congruentem hic mercedem, & felicis poli ſedem, regnans in Cœleſtibus.

VII. Gaude Virgo Mater pura, certa manens & ſecura, quia Tua gaudia non ceſſabunt, nec decreſcent, ſed durabunt, & floreſcent per æterna ſæcula.

Adde ſeptem Ave Maria, &c. *in honorem ſeptem Gaudiorum Beatæ Virginis MARIÆ.*

ANTIPHONA

O Sponſa Sancta, & humilis Virgo pulcherrima MARIA Mater DEI Virgo electa, eſto

esto nobis via recta ad æterna gaudia, ubi pax est & gloria, & nos semper aure piâ, exaudi Virgo MARIA.

℣. *Exaltata es Sancta Dei Genitrix,*

℟. *Super Choros Angelorum ad Cœlestia Regna.*

OREMUS.

O Dulcissime Domine JESU Christe Fili DEI vivi, qui beatissimam Virginem MARIAM Matrem Tuam, perpetuîs gaudiîs Tecum in Cœlis Coronatam lætificasti: concede propitius; ut ejus virtutibus & meritis gloriosis, & precibus continuis, salutem & prosperitatem mentis & corporis cum alacritate & abundantia omnium bonorum spiritualium & corporalium consequamur, & in hoc sæculo tam sobriè, justè, & piè vivamus, ut post transitum hujus sæculi ad gaudia æterna feliciter pervenire valeamus. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitatate Spiritus Sancti DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

TRES ORATIONES

Ad Virginem Immaculatè Conceptam, quas SIXTUS IV. undecim millium annorum indulgentiîs dotavit.

GAude benedictissima DEI Genitrix Virgo semper MARIA, quia in Tua Sanctissima Conceptione, quando nobilissima Anima Tua Corpori Tuo est infusa, præservata es à

peccato

peccato originali. Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus possedit Te in initio vitæ Tuæ, ne aliquid mali Te contingeret. Dominus Pater possedit Te per suam potentiam potenter Te præservando, ne unquam fieres Filia iræ, sed esses semper Filia reconciliationis. O Electa Filia summi Patris, libera me & omnes Tuam Sanctam Conceptionem honorantes ab ira Dei, & reconcilia nos DEO Patri, Amen.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

II. DOminus Filius possedit Te per suam sapientiam, sapienter Te gubernando, nè unquam esses sub potestate satanæ: sed esses semper contritrix Capitis ejus. O dignissima Mater Unigeniti Altissimi, libera me à potestate satanæ, & contere caput serpentis in me, & in omnibus honorantibus Tuam Sanctissimam Conceptionem.

Pater noster, &c. Ave Maria, &c.

III. DOminus Spiritus Sanctus possedit Te per suam benignitatem, clementer Te gratiâ, donîs & virtutibûs replendo, nè unquam ex defectu Cœlestium charismatum esses Vas immunditiæ, & debitrix mortis æternæ; sed esses inventrix omnis gratiæ, genitrix vitæ, & vena veniæ. O sanctissima Sponsa almi Paracleti, libera me à morte culpæ, & impetra mihi, & omnibus honorantibus Tuam Sanctissimam

ctiſſimam Conceptionem, vitam naturæ, gratiæ, & gloriæ, Amen.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c. & Credo, &c.

SUſcipe ô dulciſſima Virgo MARIA ad honorem Sanctiſſime TRINITATIS tria hæc *Pater noſter*, & totidem *Ave Maria*, cum uno *Symbolo* in illo amore, in quo tanta bona operata eſt in te, Tuaq; Sanctiſſima Conceptione, ut ego & omnes honorantes Tuam Sanctiſſimam Conceptionem mereantur per Te petita accipere, A.

GREGORIUS XV. *Annô* 1621. 13. *April: ad inſtantiam Conjugis Legati Hiſpanici: centum dierum Indulgentias conceſſit, quoties quis devotè hæc verba pronunciaverit:*

Benedicta ſit Puriſſima & Immaculata Conceptio Beatæ MARIÆ Virginis.

ORATIO

Ad Beatam Virginem MARIAM.

Quam quædam Virgo ex Sodalibus S. Urſulæ docuit Fr. Henricum Cartuſianum S. Barbaræ in Colonia dicens: Si aſſiduè dixeris Divæ MARIÆ: omnium Sanctorum gratiam aſſequeris. Ex Chron: Ord: Carth: l. 5. c. 10.

O Virgo Regina Virginum, ſummum TRINITATIS ſacrarium, Angelorum ſpeculum, ſcala Sanctorum omnium, tutum peccatorum refugium: Cerne ô pia noſtrum periculum, in morte placatum nobis oſtende Tu-

um

um Filium, & Tuum vultum gratiosum, Am.

TRES ORATIONES

Ad Beatam Virginem, pro felici morte.

Sequentes Orationes ipsamet B. Virgo S. Mechtildem docuit, eique promisit se in ipsius morte affuturam, si singulis diebus eas diceret, ac in fine cujuslibet adderetur. Ave MARIA.

Ex l. 1. Rev. c. 16.

I. O Domina mea Sancta MARIA, sicut DEUS Pater per omnipotentiam suam Te potentissimam effecit, ita mihi quæso adsis in hora mortis meæ, expellendo à me omnem contrariam potestatem. *Ave Maria, &c.*

II. O Domina mea Sancta MARIA, sicut Filius Dei tanta Te cognitione & charitate donavit, ut totum Cœlum illumines, ita in hora mortis meæ animam meam cognitione fidei sic illustres & corrobores, ut nullo errore aut ignorantiâ pervertatur. *Ave Maria &c.*

III. O Domina mea Sancta MARIA, sicut Spiritûs Sanctus suum amorem Tibi plenè infudit, ita in hora mortis meæ dulcedinem amoris divini mihi instilla, ex quo omnis amaritudo mihi reddatur suavissima. *Ave Maria.*

INVITATIO

Beatæ Virginis ad suum obitum.

SAcratissima Virgo MARIA, in illo amore, & fidelitate, quâ Filius Tuus in Cruce pen-

dens Te B. Joanni commendavit, commendo Tibi animam, & corpus meum, cogitationes, verba, & opera mea, vitam, & mortem meam, maxime autem extremum illud vitæ meæ momentum, à quo pendet æternitas. Et ſicut Tu ad beatum Tuum tranſitum Filium Tuum inviſtaſti, ita & ego ad tranſitum meum Te invito; rogans per amorem illum, quo Filio morienti adſtitiſti, perque amaras lachrymas, quas fudiſti, quando eum inclinato Capite amariſſime expirantem vidiſti, ut & mihi materna benignitate Tua aſſiſtere, & nequaquam deſerere velis: quia ſine Te nequaquam pie mori me poſſe confido. Ne deneges mihi, o Mater beniгniſſima, petitionem hanc meam, quam à Te devotiſſimo corde depoſco, quia, ſi ſine Te moriar, non immerito vereor, ne æternaliter peream. Quomodo enim ego pauperculus, & fragilis nimis, in tam multiplicibus, graviſſimiſq; hoſtium inſultibus ſubſiſtam, niſi mihi adfueris? Quomodo in diſtrictiſſimo illo judicio divino comparebo, niſi te mihi comitem, & advocatam exhibueris? Quomodo de peccatis meis innumeris, & omnem enormitatem ſuperantibus rationem reddam, niſi tu illa apud Filium Tuum excuſes, eorumq; mihi veniam impetres? Inclina igitur Aurem Tuam precibus meis, o Beatiſſima; & ob amorem dilecti Filii Tui in extremis mihi aſſiſte, ut ſub Tua protectione graviſſimis illis periculis erutus, ad

Cœleſtia gaudia Tecum pervenire valeam, Am.

Abſolutis Orationibus ad Beatam Virginem MARIAM, ſic concludes.

ERgo Virgo miſerere,
Et à malis me tuere:
Fida Mater filiorum,
Et Patrona miſerorum:
Audi preces magni Rei,
Qui paveſcit iram Dei:
Mecum ſimul ſupplica,
Pande Nato viſcera:
Fac me ſcelus expiare,
Et quod peto impetrare:
Hic in terris gratiam,
Dein optatam patriam, Amen.

NOTA, Ex miraculis B. Virg. MARIÆ, Authore diſcipulo.

QUidam ex Sanctis Patribus in Spiritu audivit JESUM Chriſtum quærentem à Matre miſericordiæ, qui fuiſſent dolores ſui majores: & Illa: Quiſq; fuerunt cæterum majores. Primus. Cùm Simeon Te occidendum prophetavit. 2. Cùm Te perdidi per triduum 3. Cùm Te captum & ligatum audivi. 4. Cùm Te crucifixum vidi. 5. Cùm Te in ſepulchrum poni vidi. Cui Chriſtus ait: Qui me ad primum dolorem tuum, uno Pater, & uno Ave Maria ſalutaverit. *Dabo ei cognitionem & contritionem peccatorum. Qui ad 2*

Dabo ei remissionem omnium peccatorum suorum. Si ad 3. Dabo ei virtutes quas per peccatum amisit. Si ad 4. Dabo ei donum gratiæ, & cibabo eum ante mortem suam Corpore meo. Si ad 5. Apparebo ei in morte, & recipiam eum in vitam æternam.

ORATIONES
Ad SANCTOS
PATRONOS.

Ad Sanctum MICHAELEM *Archangelum.*

SAlve Princeps gloriosissime Sancte MICHAEL Archangele, salve nobilissime Dux superni exercitûs, salve decus & gloria Cœlestium Hierarchiarum per quem divina virtus multa & præclara præstitit, atquè præstat. Veni in adjutorium populo Dei, & militanti Ecclesiæ contra impios procura victoriam, nosquè simul adversus diabolicos insultus in vita & morte patrocinio Tuo defende & subleva. Princeps gloriosissime MICHAEL Archangele, esto memor nostri: hic & ubiquè semper precare pro nobis Filium Dei.

Ad Angelum Custodem.

O Angele Dei sacratissime mihi à DEO in Custodiam deputate, laudo & glorifico Te, gratiasquè ago Tibi pro singulis beneficiis, quæ

mihi

mihi in corpore & anima unquam exhibuisti. O amice mi fidelisime, qui in speculo lucidissimæ Trinitatis prævides pericula mea, adesto quæso mihi semper, & nunquam à latere meo discede. Protege ab omni incursu diaboli: Repelle à me per virtutem S. Crucis omnem tentationem satanæ, & quod mea non exigunt merita, Tuis precibus obtine apud altissimum Iudicem. Cùmq; per abrupta vitiorum me deviasse videris, per semitas justitiæ ad Salvatorem meum reducere me satagas. Ne permittas quæso: ut in præsentia Tua vel minimum faciam, quod te possit offendere. Offer desideria mea DEO meo, offer illi gemitus & suspiria mea, explica ipsi necessitates & miserias meas, & in quacunq; tribulatione vel angustia me esse perspexeris, auxilium DEI omnipotentis Tuo obtentu mihi adesse sentiam. Precor etiam Te mi Custos, si fieri potest, notum mihi facias finem meum, diemq; obitus mei. Et cum de corpore eductus fuero, non permittas me à maligno spiritu tereri, nequè in foveam desperationis deduci: sed perduc me ad visionem ipsius conditoris mei, ut ibi simul, ego pro opere, & tu pro custodia unà cum Beatissima Dei-Genitrice MARIA, & omnibus Sanctis Domino adjuvante lætemur, Amen.

℣. *Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.*
℟. *Propterea decorem induit te DEUS.*

OREMUS.

OMnipotens & misericors DEUS, qui hominem ad Imaginem Tuam formasti, & ei Angelum corporis & animæ custodem tribuisti: concede propitius Angelo mihi deputato tantum honorem impendere: ut me Tua protectione vivificet, & defendat ab omni incursu diaboli, vigilantem, dormientem, orantem, ac in divinis officiis Tibi servientem. Omnibus horis ac momentis, nec non in hora mortis meæ, angelos malos à me depellat, bonosq; mihi associet, & animam meam ad Te feliciter perducat, Amen.

Ad Sanctum PATRONUM

Cujus Nomen quis habet.

O Gloriosissime Sancte N. inter cæteros mihi dilectissime, qui mihi in sacro baptismatis fonte in Patronum datus es: in Te omnem spem & confidentiam apud DEUM patrocinandi colloco, deprecorq; ut pedes meos dirigas in viam pacis, prosperitatis, & salutis æternæ: ut nunquam â virtutum tramite, ad vitæ Tuæ exemplar, discedam. Mei quoq; in periculis tam animæ, quàm corporis curam & custodiam suscipe, in Cœlis pro me ora, in terris me doce, in mortis articulo succurre, & cum JESU DEO meo, MARIA Matre ejus S. Angelo Custode, omnibusq; Patronis meis viæ, vitæ æternæ comes occurre: ut cum ijs &

Tecum

Tecum Patrem æternæ gloriæ habere merear in Cœlis. Per eundem Christum Dominum nostrum, &c.

ORATIO
Ad suos Patronos.

Avete refulgentes Cœlorum flores, & gloriosi Paradisi Incolæ, Sancte Angele vitæ meæ Custos, S. Petre, & S. Paule Apostolorum Principes, S. Francisce pauperum Patriarcha, & S. Antoni de Padva. Avete S. Joannes Baptista & Evangeliste, Ave S. Joseph Sponse, & Joachim Pater Virginis MARIÆ. Ave S. Anna; Avia Domini JESU, Ave Sancta Maria Magdalena, S. Catharina, S. Apolonia, S. Ursula. (*Hic pone & alios Patronos tuos à te specialiter Electos*) & omnes alij Sancti & Sanctæ Dei, quoscunquè Cœlestis habet Curia, & quotquot sunt Beatorum spirituum Ordines. Gratias ago Domino DEO pro universis beneficiis, quæ vobis contulit atq; pro ijsdem laudabo, glorificabo, & benedicam Eum in æternum. In singulare gaudij & accidentalis gloriæ vestræ augmentum offero Vobis dulcissimum Cor JESU Christi, thesaurum totius beatitudinis, & per idipsum adjuro Vos, ut me adjuvare dignemini. O Sanctissimi Advocati & Patroni mei, orate pro me misero peccatore, impetrate mihi omnium delictorum meorum veniam, spiritum bonum, & auxilium Divinæ gratiæ, quâ & ego sequar vestigia Vestra, & fortiter hostibus meis,

mundo carni, & dæmoni resistam; nec ullis unquam ipsorum insidiis viribusq; succumbam; Rogate, ut Christo Salvatori meo ad mortem usquè Vestro exemplo constanter adhæream, & ipsi in omnibus actionibus meis complaceam. Succurrite mihi in hora mortis meæ, quam Vobis singulari sollicitudine commendo, mequè visitare, consolari, atquè tueri, & Vestris intercessionibus efficere dignemini, quatenus anima mea ex hac mortali vita tam pura discedat, ut vitam æternam absquè ullo impedimento ingredi valeat, Amen.

Ad Quemlibet Sanctum.

AVe vernans flos Cœli, & pretiosa gemma Cœlestis Paradisi Sancte N. Saluto, veneror, & invoco Te, Tibiq; in augmentum gaudij & accidentalis gloriæ Tuæ offero totius beatitudinis gazophilatium, Cor JESU Christi dulcissimum.

Gratias ago Domino DEO nostro qui Te elegit, & in suis benedictionibus prævenit, atq; bonis omnibus ditavit. Eja ô vernans flos Cœli Beate N. ora pro me misero peccatore, adjuva me quæso tuis precibus & meritis: Et impetra mihi plenam omnium peccatorum veniam & spiritum bonum, ut DEO perfectè reconciliari & placere valeam. Adesto mihi nunc & in hora mortis meæ (quàm Tibi singulariter recommendo) meq; in eadem benignè visitare, con-

solari,

solari, & protegere dignare: tuisquè meritis effice, ut coram tremendo judice subsistere valeam, Amen.

Ad SANCTUM *vel* SANCTAM *Cujus Festum Celebratum.*

LAudo, glorifico, & benedico Te ô Sanct N. & ex omni virtute mentis meæ gratulor Tibi de omni gloria & honore, qui ex incontinentissima divinæ pietatis supereffluentia hodierna die Tibi præstitus est. Admoneo Te supereffluentissimi illius gaudij quo exultabas, dum per ministerium Sanctorum Angelorum conspectui gloriæ Domini æternis præmijs, remunerandus (vel da) præsentabaris. Recordare ô beatissim, illius honoris & exultationis, quando per Manum Domini Diadema Regni Capiti Tuo impositum, & sacratissima Anima Tua in sede gloriæ collocata est. Propter hæc aliaquè Tibi ungratiarum dona â Domino Majestatis Tibi unquàm collata, adoro & benedico ineffabilem Dei benignitatem, pro eo, quòd nectarei torrentes suæ mellitæ pietatis tam copiosè innundaverint super te: Et in vinculum perpetuæ dilectionis & fidelitatis, quo Te mihi alligare desidero, offero Tibi suavissimum, omnisquè boni contentivum Cor JESU Christi, una cum omni dilectionis & dignationis affectu, quem Tibi unquam exhibuit in terris, & modò sinè fine exhibet in Cœlis. Demum plena fidelitate com-

commendo me Tuis SS. Orationibus, orans & obſecrans: ut in die obitus mei in ſupplementum negligentiarum mearum, Domino offerre digneris omne ſtudium & præparationem, qui hodierna die Aſſumptionis Tuæ perfectiſſimè conſummatus (*vel te*) coram Domino aſtitiſti, Amen.

ORATIONES

Devota ad Patriarcham JOACHIMUM Patronum ad omnigenas conciliandas gratias præpotentem; tum propter authoritatem, ita de proximo ſibi Sangvinem conjunctorum JESU Nepotis Chariſſimi, MARIÆ Filiæ Dilectiſſimæ: tum propter dilatam tot Sæculis, & ideò magìs remunerabilem per eandem devotionem erga illum.

Divinum auxilium & Sancti JOACHIM Patrocinium maneat ſemper nobiſcum, Amen

℣. *Dignare me, Laudare glorioſum Patrem Tuum Virgo Sacrata.*

℟. *Da mihi virtutem ad promovendum ejus amorem & honorem.*

ORATIO

SUſcipe Clementiſſime DEUS, quas Majeſtati Tuæ ſuppliciter deferrimus preces, & præſta; ut intercedente Sancto Patriarcha JOACHIM cum Sancta Conjuge ſua & Beatiſſima Prole, perfectam conſequi mereamur peccatorum remiſſionem & gloriam ſempiternam.

Quæſu-

Quæsumus Omnipotens DEUS ut intercedentibus Beati JOACHIM Patris Genitricis dilecti Filij Tui, Domini Nostri JESU Christi, meritis, Tuæ gratiæ in præsenti & æternæ gloriæ in futuro participes esse mereamur. Per eundem Dominum Nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

O Domine JESU Christe qui glorificantes Te, tuorum honoribus honoraris; amplifica per Orbem universum, amorem & gloriam dilecti Avi Tui Sancti JOACHIM, cultoribus ejus vivis uberem largire gratiam, defunctis celerem dona requiem & Gloriam sempiternam.

Sanctissima MARIA Mater DEI, Filia gratiosissima Sanctorum JOACHIM & ANNÆ, intercede pro devotis amabilissimorum Parentum & Sponsi Tui clientibus, ut perpetuum peccatorum omnium odium concipiant, de commissis sincere doleant, atq; in amore Filij Tui & cultu Tuo, quotidianis proficientes augmentis, felici agone vitam consequamur æternam. Per eundem Dominum nostrum JESUM Christum Filium Tuum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit & regnat in sæcula sæculorum, A.

ACTUS Deprecationis.

O Magne Patriarcha, doleo medulitus, quòd tam serò agnoverim Tuam incomparabilem excellentiam & dignitatem, nulloquè vel

admodum exiguo cultu, Te ſim veneratus; promptior & zeloſior, deinceps ero in cultu Tuo, ut voluntati DEI & Matris ejus ſatisfaciam & tarditatem meam aliquatenus compenſem. O ſi omnia vitæ meæ momenta eſſent amoris & honoris Tui incrementa.

ACTUS Obligationis quotidie eliciendus.

GLorioſiſſime Patriarcha JOACHIM, amori & honori Tuo me totum addico. Suſcipe me clientem & ſervum perpetuum, ſubveni gratiosè in neceſſitatibus meis & poſt vitam ſtatui meo congruentem, deduc me in gloriam Filiæ ac Nepotis Tui Domini mei Clementiſſimi, Amen.

Sit Laus DEO Patri, Summo Chriſto Decus, Spiritui Sancto Tribus honor unus, Amen.

Et fidelium Animæ, præcipuè ad Sanctos JOACHIMUM ANNAM & JOSEPHUM devotæ per miſericordiam DEI requieſcant in pace, Amen.

Ad Sanctum JOSEPHUM.

SAlve Pater Salvatoris, ſalve Cuſtos Redemptoris, JOSEPH ter amabilis. Salve Sponſe Matris Dei, ſalve hoſpes JESU Dei: JOSEPH ter amabilis.

2. Dulces cunæ, dulces panni, dulces dies, dulces anni, dum nutriſti Dominum. O quam fuit admiranda, tua vita veneranda, habens Dei Filium.

JESUM

3. JESUM oculis vidisti, & in brachiis tulisti, ô suavis felicitas! genis genas admovisti, oscula dans accepisti, ô felix suavitas.

4. Modo DEUM appellasti, modò Regem nominasti, inter mille gaudia, modò Patrem adorandum, modò Natum adamandum inter mille basia.

5. JESUM brachiis tenere, atq; totum possidere, ô quantæ deliciæ! cum MARIA conversari, DEI Natum amplexari, ô quantæ deliciæ!

6. Quis est homo qui amare, atq; Jesulum portare: nollet suis brachiis, nullus est qui non ambiret, & qui cunas non adiret, pro tantis deliciis.

7. O mi JOSEPH plus amande & præ cunctis honorande, ô flos pudicitiæ! Tibi tanta sore est data, quanta nulli est collata, ab auctore gratiæ.

8. O felicem & beatum custodiri cui est datum Tuo sub præsidio: & qui meruit habere Te Patronum, & gaudere Tuo Patrocinio.

9. Per MARIÆ Tuæ Matris preces & JOSEPHI Patris, JESU Tu nos adjuva: ut possimus Te videre, & æternum possidere in Cœlesti Patria.

℣. *Valde honorandus & amandus Beatus JOSEPHUS.*

℟. *Inter cujus brachia Dominus recubuit.*

ORE-

O R E M U S.

OMnipotens ſempiterne DEUS qui Beatum JOSEPHUM, juſtum Filium David, Beatæ Virginis MARIÆ Sponſum providiſti, & Filio Tuo JESU Chriſto Nutritium elegiſti; da quæſumus, ut ejus precibus & meritis tranquilla pace lætemur, & ad perpetuæ viſionis Tuæ conſolationem perducamur. Per eundem Dominum noſtrum, &c.

Ad Sanctum SEBASTIANUM.

O Beate SEBASTIANE, magna eſt fides Tua, intercede pro nobis ad Dominum JESUM Chriſtum, ut à morbo epydemiæ, & ab omni infirmitate corporis & animæ, Tua interceſſione liberemur.

℣. *Ora pro nobis Beate Martyr SEBASTIANE*

℟. *Ut mereamur peſtem epydemiæ illæſi pertranſire.*

O R E M U S.

OMnipotens ſempiterne DEUS, qui meritis & precibus Sancti SEBASTIANI Martyris Tui, quondam generalem peſtem epydemiæ ab hominibus revocaſti: præſta ſupplicibus Tuis; ut qui in Nomine Tuo ejus memoriam & in eum fiduciam, pro ſimili peſte revocanda habuerint, ipſius meritis & precibus ab ipſa peſte epydemiæ, & ab omni malo corporis & animæ liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad Sanctum ROCHUM.

O Lampas ardens in virtute, ſpeculum pudicitiæ, & pincerna roris miſericordiæ. Sancte ROCHE, Confeſſor Chriſti chariſſime: Tu es vera apotheca pauperum, Conſolator triſtitium, infirmorum ſingulare refugium. Tibi enim DEUS, ante hujus vitæ terminum, ad Tuarum inſtantiam precum, mirabile contulit privilegium, ut omnes qui Tuum invocarint auxilium, non ſentiant epydemiæ morbum, nec cujuſcunq; peſtis mortiferæ jaculum. Rogo ergo Te Sancte ROCHE per illud ingens gaudium cordis, quod concepiſti, quando Te liberatum à peſte, Angelo nuntiante, ſenſiſti: Et per illud ſalutiferum crucis ſignaculum, quod Tecum in Corpore creſcens vivus geſſiſti; atquè etiam per illud indefeſſum pietatis obſequium, quod cunctis peſte languentibus impendiſti: ut mihi & omnibus in Te confidentibus more Tuæ pietatis ſucurras, & à mortifera peſte præſervando cuſtodias, meque & omnes Tuæ protectionis ſcuto munitos, Tecum poſt hoc exilium ad Cœleſte convivium ſine fine regnaturos, facias pervenire.

℣. *Ora pro nobis Sancte ROCHE,*

℟. *Ut mereamur præſervari à peſte epydemiæ.*

OREMUS.

DEUS qui Beato ROCHO per Angelum Tuum tabulam eidem afferentem promiſiſti: ut qui ipſum invocaverit, à nullo peſtis cruciatu

cruciatu læderetur: præſta quæſumus, ut qui ejus memoriam agimus, meritis ipſius à mortifera peſte corporis & animæ liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Ad Sanctum BLASIUM.
Contra ulcera gutturis.

CLementiſſime JESU, qui fidelibus Tuis ad curandos gutturis morbos famulum Tuum Beatum BLASIUM Epiſcopum & Martyrem auxiliatorem eximium providere, eique ſupplicanti ſalutarem omnium ipſum invocantium petitionis effectum promittere dignatus es: reſpice propitius ad humilitatem noſtram, & ſuffragantibus meritis ejus, qui prote ſangvinem fudit, omnia adverſantia gutturi mala à nobis propitiatus averte. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Ad Sanctum LIBORIUM.
Contra morbum calculi.

CHriſti præſul egregius,
Pro nobis hic LIBORIUS.
Oret DEUM altiſſimum,
Ne pro culpa peccaminum.
Morbo vexamur Calculi,
Succurrant nobis Angeli.
Et poſt vitæ certamina,
Ducant ad Cœli gaudia.

℣. *Ora pro nobis Beate* LIBORI,
℟. *Ut Calculi doloribus mereamur erui.*

ORE-

OREMUS.

DEUS qui Beatum LIBORIUM Pontificem aliis innumeris clarum miraculis, specialem in medendis vesicæ & calculi doloribus Privilegio decorasti: Tribue quæsumus; ut ejus meritis & intercessione ab iis & ab aliis malis eruamur, & gaudiis perfrui mereamur æternis. Per Christum Dominum nostrum, A.

Ad Sanctum ANTONIUM
Pro perditorum recuperatione.

SI quæris miracula: mors error, calamitas, dæmon, lepra fugiunt ægri surgunt sani. Cedunt mare, vincula, membra, resq; perditas petunt & accipiunt juvenes & cani, Pereunt pericula, cessat & necessitas. Narent hi qui sentiunt: Dicant Padvani. Cedunt mare, vincula, membra, resquè perditas petunt & accipiunt juvenes & cani. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Cedunt mare, vincula, membra, resquè perditas petunt & accipiunt juvenes & cani.

℣. *Ora pro nobis Beate* ANTONI,
℞. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi.*

OREMUS

MItissime ac Clementissime JESU, qui Beatum ANTONIUM Confessorem Tuum perpetuis illustras miraculorum splendoribus: concede propitius; ut quæ per ejus merita fideliter petimus, per ejus intercessionem efficaci-

ficaciter consequamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs Sancte DEUS, per omnia sæcula sæculorum, Amen.

ANnô 1636. *Adolescens quidam Enorgumenus in Italia Seraphici P. S. Francisci institutum suscepit, hujus spe medii ductus, futurum, ut torquentis se dæmonij molestationes evaderet. Integro quidem Novitatûs Annô quietem sibi conciliavit. Ac instante Professionis tempore misellus in tantam insaniæ rabiem agi cæpit, ut nemini securus ad eum accessus pateret. Igitur ab ejusdem Conventûs Gvardiano adjuratus dæmon in Senatorum confessu, nec non spectante Episcopo, inter cætera: hæc confitebatur dicens: Divinæ vir tutis cóáctus testari debeo, nullum post DEUM, ejusquè Matrem in Cælò Sanctum esse, cujus meritis plures inferni faucibus eripiantur, ac ipsius S. Antonii Padvani & neminem malum vitæ exitum sortiri, qui indies nominatum illud Responsorium* (Si quæris &c.) *vel qui literas ignoret,* tria Pater, & Ave. *ad honorem hujus Sancti devotè recitaverit. His effatis, dictoq; Hymno.* Te Deum laudamus &c. *dæmonum excitato in ingenti strepitûs tumultu missellum tyronem liberum reliquit.* P. Urbanus Bresserus PP. Convent: Provinciæ Colon: olim Provincial: testis oculatus.

Ad Sanctam ANNAM.

Sequentem oratiunculam ante Imaginem Sanctæ ANNÆ

ANNÆ devotè oranti concessit Alexander Papa VI. 20. Annorum indulgentias.

AVe gratiâ plena, Dominus Tecum: Tua gratiâ sit mecum: Benedicta Tu in mulieribus, & benedicta sit Sancta ANNA Mater Tua, ex qua sine macula prodiisti Virgo MARIA: ex Te autem natus est JESUS Christus Filius DEI vivi, Amen.

Ad S. Mariam MAGDALENAM.

GAude pia MAGDALENA,
Spes salutis, vitæ vena,
Lapsorum fiducia.
Gaude dulcis advocata,
Pœnitenti forma data,
Miseris propitia.
Gaude fœlix DEO grata,
Cui dimissa sunt peccata,
Speciali gratiâ.
Gaude lotrix Pedum Christi,
A quo tanta meruisti:
Amoris insignia.
Gaude primò digna frui,
Visa Redemptoris Tui,
Surgentis in gloria.
Gaude quæ septenis horis,
Es ab antro vecta foris,
Ad Cœli fastigia.
Gaude quæ sic sublimaris,
Et cum Christo sociaris,
In Cœlesti gloria.

Fac nos hic ſic pœnitere,
Ut poſt mortem lucis veræ,
Sortiamur gaudia, Amen.

℣. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa,*
℟. *Quoniam dilexit multum.*

OREMUS.

DEUS, qui Beatæ Mariæ MAGDALENÆ pœnitentiam ita Tibi placitam gratamquè feciſti, ut non ſolùm ei peccata dimitteres, verùm etiam Cor ejus tanta conſolationis dulcedine perluſtrares, ut lachrymis pedes Tuos irrigaret: da nos ita deflere peccata noſtra; ut & ſic indulgentiam conſequamur, & in omnibus petitionibus noſtris propitiationis Tuæ abundantiam ſentiamus. Qui vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

B. Magdalena dicebat ad B. Mechtildem quicunque Deo gratias egerit pro lachrymis, quas ad Pedes JESU effudi, &c. huic benigniſſimus Dominus meritis meis concedit, quòd ei ante mortem peccata ſua remittantur, & in amore Dei proficiat l. 1. c. 46.

ORATIO

GRatias Tibi ago benigniſſime JESU, pro illo pietatis opere, quod B. Maria MAGDALENA Tibi exhibuit, quando lachrymis Pedes Tuos rigabat, & capillîs capitis ſui tergebat, eoſquè oſculabatur, & ungvento ungebat: ex quo tantam charitatis Tuæ abundantiam Cordi & Animæ ejus infudiſti, quòd extra Te nil

poſſet

posset diligere, rogans: ut meritis ejusdem lachrymas veræ pænitentiæ mihi concedere, divinumq; amorem cordi meo infundere digneris, Am̃.

Ad Sanctam BARBARAM.

Henricus Koch ad ossa usquè exustus sequenti oratione obtinuit esse superstes usq; dum confiteretur & communicaret. De vita S. Barbaræ.

O Sanctissima Virgo BARBARA, quodcunq; viribus sponsi Tui potes, mihi in mortis articulo, obsecro, ut suppedites: Adjuva me miserum, ne in peccatis moriar. Effectum hunc habeat Tua intercessione primitùs à Christo Tibi facta promissio, cùm fidem ejus Tuo Sanguine consecrares. Reddeat in memoriam Sponso Tuo virgineus collo Tuo exuberans sanguis; Recordetur ardentissimæ Tuæ charitatis, nec animam meam à corpore exire permittat, nisi confessione expiatam, & Sanctissimæ Eucharistiæ SACRAMENTO refectam, Am̃.

Ad Sanctam APOLLONIAM.

Contra dolores dentium.

VIrgo DEI egregia,
Pro nobis APOLLONIA.
Funde preces ad Dominum,
Ut tollat omne noxium:
Nec pro reatu criminum,
Morbo vexemur dentium.
Sed sanitate capitis,
Gratulemur & corporis, Amen.

℣. *Ora*

℣. *Ora pro nobis Beata APOLLONIA,*

℟. *Ut à dentium doloribus mereamur præservari.*

OREMUS.

DEus, pro cujus honore Beata APOLLONIA Virgo & Martyr amaram & horribilem dentium excussionem sustinuit, præsta quæsumus: ut qui ejus memoriam pia devotione frequentant, eos à tetro dentium dolore immunes custodias, & ad gaudia vitæ æternæ pervenire concedas. Per Christum Dominum nostrum, Amen.

ORATIO

De Sancto ANDREA Avelino contra Apoplexiam.

SI quæris mirabilia,
Quæ manu Andreas prodigâ
Dispensat, si apoplectica,
Nescire vis pericula,
Procumbe ad aram, invoca,
Andreæ Nomen, oleo
Flore vel effigie,
Munire, opemque suscipe,
Si vis agonem ultimum,
Ritè solutus crimine:
Cibo refectus mystico,
Et unctus oleo vincere;
Procumbe ad aram, invoca &c.
Gloria Patri &c. &c.
Procumbe ad aram, invoca &c. &c.

Ter Pater, ter Ave, ter Gloria. &c,

℣. *Per*

℣. *Per intercessionem S. Andreæ Avellini Apoplecticô morbô correpti.*

℟. *A subitanea & improvisa morte, libera nos Domine.*

OREMUS.

DEUS qui B. Andream Avellinum de Altaris ministerio in sempiternæ gloriæ Tuæ Sanctuarium per apoplecticum morbum pijssimè suscepisti, da nobis ut ejus meritis & intercessione, ab ejusdem morbi periculo liberati, & Sacris Mysterijs præmuniti, in æterna Sanctorum Tuorum tabernacula recipi feliciter mereamur. Per Christum Dominum nostrum Amen.

ORATIONES
Pro Ecclesia, Amicis, tentatis & infirmis.

Pro lucrandis indulgentiis ordinariis.

DOmine JESU Christe, amator pacis & unitatis, Te rogamus per pretiosum Sanguinem, per sacratissima quinq; Vulnera Tua, & per acerbissimam Passionem & Mortem Tuam, per quam totum genus humanum redemisti, & æterno Patri Tuo reconciliasti, ut Regibus & Principibus Christianis veram pacem & unitatem largiri, & gratiam Tuam concedere

digneris, ut ſine diſſenſione & diſcordia ſubditos ſuos regere & gubernare valeant, Am̃.

2. Domine JESU Chriſte, qui es via, veritas, & vita Te rogamus per pretioſiſſimum Sanguinem, per ſacratiſſima quinq; Vulnera Tua, & per acerbiſſimam Paſſionem & Mortem Tuam, per quàm totum genus humanum redemiſti, & ad lumen veræ fidei perduxiſti, ut omnes errores, hæreſes & falſa documenta exſtirpare & eradicare, omneſq; qui in tenebris ſedent illuminare, & ad lumen veritatis perducere digneris, ut veram Catholicam & Apoſtolicam fidem agnoſcentes, eandem corde & ore coram Te & univerſo mundo pâlam profiteantur, Amen.

3. Domine JESU Chriſte, qui es baſis & caput Eccleſiæ, Te rogamus per pretioſum Sanguinem, per ſacratiſſima quinq; Vulnera Tua, & per acerbiſſimam Paſſionem & Mortem Tuam, per quàm totum genus humanum redemiſti: & Eccleſiam Catholicam fundaſti & erexiſti, ut eandem conſerves & exaltes; omneſq; qui ſe opponunt humilies & perſequaris: omnibus verò fidelibus ejus membris gratiam dignanter concedas, ut in vera fide, charitate, & virtuoſa vita uſquè ad finem fideliter perſeverent, Amen.

ALIA Pro omni ſtatu Eccleſiæ.

O Amantiſſime JESU Chriſte, qui pollicitus Eccleſiæ Tuæ Te illi nunquam defuturum;

rum; conserva eam quæsumus quietam, tranquillam & devotam usq; ad consummationem sæculi; auge illam & fac lætissimam bona sobole Tibì simillima. Fac nos omnes idem credere, & de Te sentire, ut simus verum unum corpus illud cui Tu es caput, conglutinati & compacti charitate mutua de Tuo illo perpetuo igne accensa.

Digneris etiam Domine misericordiam, gratiam & charitatem Tuam omnibusEcclesiæ Tuæ Præsulibus concedere, ut officio, quod Te tradente veluti per Tuas manus acceperunt dignè incumbant, in seipsos & gregem attendant, & pascant Ecclesiam Tuam, quàm pretioso sanguine tuo tibi vendicasti.

Rogamus etiam Domine pro omnibus Religiosis Virginibus, Viduis, Conjugatis, atquè omnibus quorum Tu cognovisti nomina, ut per virtutem divinæ gratiæ Tuæ in omni bono proficiant, & ab omni malo sibi caveant.

Etiam rogamus pro Patria & hac Civitate nostra, omnibusq; habitantibus in ea: prò infirmis, tribulatis & tentatis: pro relegatis & publicationem bonorum perpessis: pro navigantibus & peregrè proficiscentibus; ut sis auxiliator, adjutor & opitulator omnium in tribulatione constitutorum.

Etiam rogamus Te pro ijs, qui odio nos habent & persequuntur, pro iis qui extra sunt & versantur in errore, pro vexatis ab adversario,

& pro Fratribus noſtris pœnitentibus, ut illos in fide perficias, alios à vexatione mali eripias; horum pœnitentiam recipias & indulgeas illis omnia delicta ſua.

Demum rogamus Te pro omnibus & ſingulis Chriſtianis vivis atquè defunctis, ut omnes nos in pietate conſerves, à malis eripias, & demum in Regnum Tuum Cœleſte feliciter introducas; ubi cum Patre, & Spiritu Sancto vivis & regnas in ſæcula ſæculorum, Amen.

Dic quinque Pater, & Ave, aut quantum pietati vel devotioni Tuæ videbitur.

ORATIO
Pro ſalutari vitæ ſtatu eliendo.

O Domine Deus, æterne qui cuncta gubernas, diſponis & moderaris? invoco paternam pietatem Tuam, & peto ut locum & ſtatum talem mihi provideas, ubi congruenter ad Tuam gloriam, & ad meam ſalutem Tibi famulari valeam. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

Pater noſter, & Ave Maria.

ORATIO
RELIGIOSI.

DUlciſſime Domine JESU, qui per infinitam bonitatem Tuam ex periculoſo illo mundo me eduxiſti & in paupertatis, Obedientiæ ac Caſtitatis ſemitam, recta ad Superos ducentem collocaſti: Te ſuppliciter exoro, ut

qui

qui mihi hoc velle dedisti & incipere, des quoq; progressum & exitum salutarem, ut hæc tria munera Tua, quæ absquè Te haberi nequeunt, quasi thesaurum summè admirandum, ità perpetuò conservem, ut nihil habeam, aut habere velim, proprium, vel Paupertati contrarium. Nihil agam, dicam, aut cupiam, quod adversetur obedientiæ, Nihil deniquè expetam vel cogitem, quod possit lædere corporis aut mentis puritatem.

Hæc sunt Domine JESU Cœlestia Tua dona nobis misericorditer collata, da, ut ea usquè ad finem sic conservem, ut in hora mortis meæ suavem hanc vocem audire merear; Euge serve bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa Te constituam: intra in gaudium Domini tui, Amen.

O R A T I O

Ad impetrandam Castitatem.

DOmine JESU Christe, qui pasceris inter lilia, & inter animas castas habitas, earumq; castitate delectaris: tolle à me desideria carnis immunda, & minùs puras cogitationes repelle: indue animam meam stolâ pulcherrimâ castitatis & corpus meum munditiæ virore nobilita, ut ex corpore, & animo meo in memetipso magnificum Spiritui Sancto habitaculum extruam, Amen.

PROTESTATIO

Et propositum retinendæ castitatis.

EGo N. coram castissima Virgine MARIA, Angelo Custode, & totâ Curiâ Cœlesti, Tibi DEUS cordis mei, quem ubiq; præsentem agnosco, & sancte veneror, me sisto, & protestor, nolle me unquam consentire non modò facinori committendo, sed nè cogitando quidem, quantumvis adversarii vim inferant: Detestor & execror omnes istas fœditates, ac spurcitias. Frustra agis sordide tentator, dæmon spurcissime, malo enim me dehiscat terra, castoq; mihi mille reseret infernos, quàm ut turpi delectationi vel ad momentum consentiam, ita decretum, ita constitutum est. Adesto ô MARIA ô Angele Custos ô Patroni castitatis meæ: tuq; voluntatem meam confirma bone JESU, quod per Sanguinem Tuum supplex deprecor, Amen.

COMMENDATIO

Sui ipsius.

Hæc Oratio per Spiritum Sanctum revelata est S. Augustino, quàm qui portaverit & devote dixerit, ipse eadem die non peribit in aqua, nec in igne, nec in prælio, nec morietur morte subitaneâ, nec quisquam ei poterit nocere.

DEUS propitius esto mihi maximo peccatori, & custodi me omnibus diebus & noctibus vitæ meæ, DEUS Abraham, DEUS Isaac, DEUS Iacob miserere mei & mitte in

adjuto-

adjutorium mihi S. Michaëlem Archangelum, qui me defendat, ac protegat ab omnibus inimicis meis: Sancte Michaël Archangele, defende me in prælio, ne peream in tremendo judicio. O Sancte Michaël, per gratiam quàm meruiſti, & per Unigenitum Filium Dei, JESUM Chriſtum, Te deprecor, ut liberes me hodie ab omni damno, & periculo mortis. Sancte Gabriel, S. Raphaël, & mi Angele Cuſtos, omneſq; Sancti Angeli, & Archangeli Dei ſucurrite mihi: Adjuro Vos per omnes virtutes Cælorum, Vos præſervetis me à ſubitanea morte, & præſtetis mihi auxilium, robur, & virtutem, ne ullus inimicus mihi nocere, me lædere vel condemnare valeat: nec domi, nec foris, nec in igne, nec in aqua, nec vigilantem, nec dormientem me vulnerare aut opprimere queat. Ecce Cru † cem Domini, fugite partes adverſæ, vicit Leo de tribu Juda radix David, Alleluja. Salvator mundi ſalva nos, qui per Crucem & Sanguinem Tuum redemiſti nos, auxiliare nobis, Te deprecamur DEUS noſter: Sanctus DEUS, Sanctus fortis, Sanctus & immortalis miſerere nobis. Crux † Chriſti ſalva nos, Crux † Chriſti protege nos, Crux † Chriſti defende nos. In Nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, A.

O R A T I O
Hominis deſolati in Manus DEI.

DOmine ſancte Pater, Tibi nunc & in æternum Benedicto, Laus & Honor ſit ab omni

omni creatura, quia pro Tua divina voluntate omnia facta ſunt & fiunt. Lætetur in Te ſervus Tuus non in ſe, nec in alio aliquo, quia Tu ſolus es lætitia mea vera, Tu ſpes mea, corona mea, & gaudium meum Domine. Nunc ecce derelictus ſum in deſolatione & triſtitia hac magna, ignorans quò me vertam, niſi ad Te Domine DEUS meus.

O amantiſſime Pater, ecce nunc adeſt horâ illâ tribulationis, quàm Tu ab æterno prævidiſti, ut modicum tempus probetur ſervus Tuus foris, vivat verò ſemper apud Te intùs, paululùm vili pendatur ab hominibus, ſed apud Te ſemper magnificetur in Cœlis. Pater Sancte Tu ſic ordinaſti, & ita modò factum eſt, ſine conſilio enim & providentia Tua divina nihil fit in terra. Hæc eſt enim gratia ad amicos Tuos, ut plurimis ſemper tribulationibus affligantur, & ab omnibus contemnantur & confundantur.

Bonum mihi eſt Domine, quòd humiliaſti me, ut diſcam juſtificationes Tuas; & fiduciam meam in nullo, præterquàm in Te ſolo ponam. O Domine, in æquiſſimum judicium Tuum me offero, & gratiſſimæ voluntati Tuæ integrè me reſigno, paratus hanc & aliam ac quamvis crucem, quàmdiu Tibi placuerit pro amore Tui cum pleniſſima mei ipſius reſignatione ſuſtinere. Atquè utinam poſſem omnium & ſingulorum, qui modò in aliqua paſſione ſunt, preſſuras ſolum ſuffere, imò ipſam mortem ſubire,

ut qua-

ut qualemcunq; vicem redderem Tuæ infinitæ charitati, utere me, ficut Tu vis in tempore & æternitate. Quidquid Tu Pater Cœleftis in me & de me facere decrevifti, facito, Tu enim folus quid mihi falubrius fit, nofti. Ideo mi amantiffime Domine propter Te libenter patiar, quidquid fuper me venire volueris; dummodò mihi Tuam fimul gratiam largiaris, quâ omnia patienter & conftanter feram. Cuftodi me folùm ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum. Hæc maxima, ô amantiffime Pater, mihi crux eft, quod Te, quem fuper omnia amo unquam offenderim. Cupio ô Domine hac mea afflictione (quàm in unione amorofæ mortis dilecti Filii Tui, & illius amoris, quo omnium hominum onera portavit, libenter fuftinebo) pro peccatis meis fatisfieri, Tuamq; mihi gratiam reconciliari: pro qua non folùm hæc, verùm etiam & quævis alia mala fuftinerem. O Domine hæc ante omnia peto, ut dimittas peccata mea, Tuamquè mihi gratiam largiaris, ut Te DEUM fummum bonum meum cum omnibus Angelis & Electis Tuis dignè amare & laudare merear nunc, & in æternum, Amen.

ORATIO
Ante Studium.

PIe JESU in Tui laudem & honorem, & in unione omnium operum Tuorum hoc ftudium incipiam, atq; fideliter Te ductore perficiam,

ficiam, Tu mi JESU votis annue, & actionem hanc meam aſpirando præveni, & adjuvando proſequere, mentem illumina, intellectum illuſtra, voluntatem accende; ut hic labor meus in augmentum Tui honoris, meæq; ſalutis à Te modò incipiat, & per Te, Tuæquè gratiæ auxilium feliciter finiatur, Amen.

Adde unum Ave Maria, *in honorem Sanctæ CATHARINÆ Patronæ Studioſorum.*

ORATIO
Pro aliqua re à DEO petenda.

OMnipotens ſempiterne DEUS, cujus miſericordiæ non eſt numerus, & bonitatis infinitus eſt theſaurus: En ego peccator (qui tamen ex intimo corde nunc doleo, quod Te clementiſſimum Patrem, ſupremum DEUM peccatis meis unquàm offenderim) cum profundiſſima humilitate, filiali amore, & præcordiali fiducia ad Te ſupplex venio, deprecans: quatenus mihi hanc gratiam. (*Hic mente aut verbis profer petitionem Tuam*) largiri digneris, niſi divinæ voluntati Tuæ, & animæ meæ ſaluti adverſetur. O clementiſſime Pater inclina aures Tuas ad preces meas, & aperi theſauros inexhauſtæ bonitatis Tuæ, mequè infinitæ liberalitatis Tuæ fac eſſe participem. Converte quæſo Domine benignitatis Tuæ mitiſſimos oculos ad me, licèt indigniſſimam creaturam Tuam, & indulge deſiderio in ſatisfaciendo petitioni meæ, quod rogo per gemitus & lachrymas, per op-

probria

probria & injurias, per ſpinas & flagra, per Crucem & Vulnera, & per totam Paſſionem dilectiſſimi Filij Tui Domini noſtri JESU Chriſti. Rogo Te ô clementiſſime Pater, nè mihi hanc petitionem meam deneges, neq; peccata & indignitatem meam aſpicias; ſed propter Paſſionem Unigeniti Tui, ditiſſimamquè mortem ejus, à me Tibi oblatam, eidem benignus annuas. Rogo & adjuro Te per ſanctiſſimum Nomen Tuum, per æternam Deitatem Tuam, & per omnes Tuas perfectiones & proprietates, nê me deſolatum permittas.

Concede mihi hanc gratiam ô æterne Pater, quàm rogo per dilectiſſimum Filium Tuum & Spiritum Sanctum. Exaudi petitionem meam ô Chriſte JESU, quàm peto per Patrem & Spiritum Sanctum. Imple deſiderium meum ô Sancte Spiritûs, quod deprecor per Patrem & Filium. O tres coæquales & coæternæ Perſonæ, obſecro Vos per illum ineffabilem amorem, quo Vos metipſas & omnes Sanctos complectimini, ut annuendo deſiderio meo, me lætificare dignemini.

Ad Te etiam ô Advocata pauperum, benigniſſima Virgo MARIA accedo, ſupplex rogans: per charitatem illam infinitam, quâ Te DEUS ab æterno ſibi elegit in Matrem, dilexitq; & exaltavit præ omni creatura, nec non per converſionem ſacratiſſimi Sanguinis Virginei cordis Tui in corpus Filij Tui, & per ejus

Sanguinem, & Tuas ferventes lachrymas in ejus passione fusas, & per Virginei Cordis Tui erga Filium amorem, & dolorem incomparabilem, & omnia viscera maternæ misericordiæ Tuæ erga nos, ut divinam clementiam ad desiderium cordis mei inflectere digneris: Pro quo Tibi gloriam & laudem immensam per æterna sæcula decantabo, Amen.

NOTA Communis hostis dæmon mellifluo Doctori BERNARDO apparuit, jactans se scire quosdam versiculos Davidis, quos qui quotidie recitasset, de salute non dubitandum fore, eos tamen nulli velle indicare. Ut illos tangam, ait Sanctus: Indies totum recitabo Psalterium; De sine hoc facere: respondit diabolus, libentius illos indicabo: Sunt autem sequentes. Reverendissim: Greg: Cornor in Mag: Prompt: fin: 745. Joanes Heydelfeld: de Enigmat: diaboli.

ILlumina oculos meos Domine, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum. *Psal.* 12.

In Manus Tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine DEUS veritatis. *Ps:* 10.

Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum. *Psal.* 18.

Et numerum dierum meorum; ut sciam quid desit mihi. *Psam* 8.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam

Tu

Tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me. *Psalm.* 85.

Dirupisti Domine vincula mea, Tibi sacrificabo hostiam laudis, & Nomen Tuum invocabo. *Psal.* 115.

Periit fuga à me, & non est, qui requirat animam meam. *Psal.* 141.

Clamavi ad Te Domine, dixi Tu es spes mea, portio mea in terra viventium. *Psal.* 142.

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad Te veniat.*

O R E M U S.

OMnipotens sempiterne DEUS, qui Ezechiæ Regi Te lachrymabiliter deprecanti vitæ spatium protendisti: Concede mihi indigno famulo Tuo, ante diem mortis meæ tantum vitæ spatium, ut omnia peccata mea valeam deplorare, & veniam & gratiam Te miserante merear accipere. Concede mihi quoquè per innocentem Filij Tui mortem felicem, ac beatam horam, cum anima mea discessura est à corpore, Amen.

DEVOTÆ ORATIONES *FELICIS MEMORIÆ* BENEDICTI XIII. Pont: Max: Ordinis Prædicatorum.

Ad impetrandam à DEO gratiam præservantem à morte subitanea fidelibus Christi

PROPOSITÆ.

à SANCTISSIMO
CLEMENTE XII.

Ex hac occasione, quia Romæ multi subitaneè moriebantur, harum verò usu ab hoc malo liberati sunt, qui verò nesciunt legere, easdem oratiunculas portent ad pectus & recitent omni die 1. Ave Maria, &c.

O Misericordissime Domine JESU per Tuum Agonem & sudorem Sanguineum, per mortem Tuam, libera me Te precor, à subitanea & improvisa morte.

O Benignissime Domine JESU! per acerbissimam & ignominiosissimam flagellationem ac Coronationem Tuam Crucem & Passionem amarissimam, & per Tuam Bonitatem Te precor, ne permittas me improvise mori, & sine Sacramentis de hac vita transire in aliam.

O Mi amantissime Domine JESU! Deus meus per omnes angores & dolores Tuos, per Tuum pretiosissimum Sanguinem, per Tua sanctissima Vulnera, per illa ô mi dulcissime Domine JESU ultima verba, quæ in Cruce pendens protulisti, Deus meus! Deus meus! ut quid dereliquisti me? per illum Tuum validissimum clamorem: Pater in Manus Tuas commendo spiritum meum, feruenter Te precor ne me insperate tollas è vivis.

Manus Tuæ ô Redemptor mi, formaverunt me totum non ergo repente præcipites me, sed

concede

concede ſpatium dignæ pœnitentiæ, tranſitum felicem de hac vita in aliam, cum gratia Tua, ut Te amem toto corde, laudem & benedicam in æternum.

Domine JESU Chriſte per illa quinq; Vulnera quæ amor noſter Tibi inflixit in Cruce, ſuccurre ſervis Tuis pretioſiſſimo Sanguine redemptis, Amen.

O R A T I O
Ad Chriſtum & Beatam Virginem pro felici morte.

O Miſericordiſſime JESU, vitæ & necis Princeps, cui & vivimus & morimur, ad Te in cruce Sanguinem & lachrymas fundentem, agonizantem, & pro me morientem ſuſpiro. Ah dulciſſime JESU, in ultima hora vitæ meæ, reſpice me oculis miſericordiæ Tuæ. In ſanctiſſimo Vulnere Cordis Tui abſconde cor meum agonizans, ut mitiges ipſius ſingultus & preſſuras. Tunc ô pijſſime JESU ſuſcipe me miſerum peccatorem in illa charitate, qua pro peccatoribus in cruce mortuus es: & da, ut in acerbiſſima Paſſione & morte Tua, atq; in ſanctiſſima Tua voluntate moriar. Nè permittas quæſo, me impœnitentm ex hac vita migrare, nec improviſa morte præoccupari; ſed moriturum mature confirmes ac munias verâ pœnitentiâ, pura confeſſione, digna ſatisfactione, & ſacratiſſimo Euchariſtiæ viatico, Oleiq; ſancti perceptione: Cùm cætera omnia me deſerent,

rent, quæ caduca & fluxa in hoc mundo poſſidentur. Tu qui cum Electis Tuis perpetuò manes, me non deſeras, præſertim in extremo illo vitæ agone, quando cum infeſtiſſimo ſatana vel maximè luctandum eſt. Aſſiſtant mihi tunc in morte Angeli Tui, & migraturum adverſus tentationes omnes protegant, ac in doloribus conſolentur atquè confirment, Amen.

Memento etiam mei ô Domina mea dulciſſima, viſceribus miſericordiæ plena, Virgo MARIA, Mater Dei, in illa tremenda, ultima hora, quando ſpiritus vitales deficient, & mortua lingua movere ſe non poterit ad invocandum Te, neq; oculi mei lucem capere, aureſq; meæ nulli voci pateſcent. Memor eſto tunc ô MARIA, precum, quas nunc fundo ad Aures pietatis Tuæ, & ſubveni mihi in ultima hora neceſſitatis meæ, ut liber à miniſtris diaboli collocer cum Chriſti Filij Tui fidelibus ſervis & amicis, Amen.

DESIDERIUM
Infirmi patiendi pro Chriſto.

O JESU, Deus cordis mei, Tu ſcis cor meum, Tu ſcis, quia amo Te, Tu teſtis mihi es, quòd hæc ſit maxima mea conſolatio, hoc unicum gaudium cordis mei, quod pati mihi tunc liceat pro Te, ſicut Tu paſſus es pro me. Utinam mi JESU, omnes artus & membra corporis mei per dolores hoſce meos vel in unicam guttulam divino guſtui Tuo placentem

eliqua-

eliquarentur! Ah mi JESU quàm affligit & conturbat me, quòd mori nunc cogar, ut infirmus & mori non possum, ut Martyr! Ah mi JESU hic ure, seca, modò in æternum parcas? O quàm modicum est omne id, quod patior pro Te mi JESU! perfidus ego & inutilis servus Tuus in moli quiesco culcitra, & Tu DEUS meus Rex Paradisi ex duro suspensus ligno, pependisti medius inter latrones! O mi JESU, dolores, dolores expeto unà cum amore Tuo, & nihil ampliùs. Pati mi JESU, pati malo, quàm ut Angelus aut Archangelus, aut è numero etiam Seraphinorum esse. Nunc enim ex amore pati est imitari Te, & est facere, quod ipsi Angeli non possunt; Ergo mi JESU aut pati aut mori. Et si dares mihi optionem, & promitteres, quæcunquè peterem Te daturum, non aliud peterem, quàm hoc ipsum quod patior. Hoc millies peto, ut laudabilissima voluntas Tua secundùm optimum beneplacitum Tuum in me, de me, per me, & in omnibus semper fiat, Amen.

ORATIO PRO INFIRMO.

B. Gertrudis oratura pro infirmo quodam, requisivit à Domino: quid sibi magìs placeret, ut oraret pro ipso? ad quòd DEUS: Duo tantùm verba devoto corde dic pro illo &c. (ut sequitur) Et quoties hæc verba replicaveris, toties augebitur

tur meritum, tàm tuum, quàm infirmi, l. 3. c. 73. *Et hanc orationem potest etiam ipse infirmus pro se dicere mutatâ persona.*

DOmine JESU per amorem, quo languores nostros tulisti, & dolores nostros portasti, rogo, ut illi infirmo conserves patientiam: & ut singula momenta per quæ passurus est, perducas ad gratiorem laudem Tuam, & ad ulteriorem ejus profectum, secundùm quod charitas ab æterno præordinavit in Corde Tuo paterno ad æternam ipsius salutem.

TESTAMENTUM,

Animæ efficacissimum ad frangendos incursus inimici in morte nostra attentatos; unde optimè faceret, si saltem quater in annô illud conderes. Cùm verò infirmaris, omni devotione illud legas aut si orare nequis, tibi prælegi facias.

In Nomine SS. TRINITATIS Amen.

QUoniam ego miserrimus peccator de morte mea certissimus, at de hora ejus incertissimus sum; hinc modò dum mihi adhuc optime præsens sum, coram Te ô Beatissima TRINITAS, atq; coram tota Cœlesti Curia, ultimam voluntatem meam, qualiter vivere & mori cupiam declarabo: super qua, ne unquàm immutari queat, Testamentum hoc quod usq; in æternum sit irrefragabile, condam & erigam. Tu igitur Sanctissime Pater, oculis pieta-

tis Tuæ intuere ſuper me indigniſſimum famulum Tuum, ſicut intuitus es unigenitum Tuum in monte Oliveti coram Te proſtratum, & de omnibus meritis ſuis Eccleſiæ ſuæ legandis, diſponentem. Et ſicut orationem ejuſdem Filij Tui ſummo beneplacito ſuſcepiſti, ita etiam ultimam hanc meam voluntatem ratam, rationabilem, acceptabilemquè facere & habere digneris! Eſt autem hæc:

Primò, In optima forma, modoq; efficaciſſimo, lego, adſcribo, & integrè trado Tibi, ô Beatiſſima T R I N I T A S, corpus meum, & animam meam, omniaq; opera mea, quæ per illa toto vitæ meæ decurſu operatus ſum. Atq; ſummas & immortales ago Tibi gratias, quòd me creaturam rationabilem creaveris, ſacro Baptiſmate regeneraveris, alijſq; Sacramentis ſanctificaveris, & infinitis bonis in corpore & anima in particulari & univerſali affeceris. Propter quæ fateor; quòd Tu ſolus poteſtatem in me habeas, quòdquè Te ſolùm & nullum aliùm extra Te Dominum agnoſcam.

Secundò, Omnia bona, omneſq; gratias tam ſpirituales, quàm corporales, quas unquàm à Te accepi, illas omnes Tibi Domino DEO meo ſoli adſcribo: fateorquè quòd ex abyſſali Tua benignitate, atq; Sanctorum Tuorum interceſſione mille certò plùs boni mihi præſtiteris, quàm à Te promeritus ſum, quodquè tam in corpore, quàm in anima, tam in proſperis, quàm

adver-

adverſis, tam congruentiſſimo modo mihi provideris, quod hoc nulla potentia, ſapientia, aut bonitas extra Te prævaluiſſet, de quo maximas, quas poſſum in æternum Tibi decantabo laudes & gratias.

Veram fidem, quàm in Baptiſmo accepi, omneſquè ac ſingulos ejuſdem articulos firmiter credo, atquè profiteor, tali modo ac formâ, quali ſancta Catholica Eccleſia ejuſdem credit atquè profitetur: paratiſſimuſq; invenirer potiùs vitam & ſanguinem, quàm vel unicum veræ fidei articulum abnegare. Et ſi forte in morte mea diabolico inſtinctu quidquàm huic ſacræ fidei contrarium cogitarem, dicerem, aut facerem, id modo omninò irrito atq; invalido. Quod nè fiat, commendo eandem Tuæ omnipotentiæ, ſapientiæ, atquè bonitati, DEUS meus, ut in hora mortis meæ integra atq; perfecta inveniatur.

Omnia & ſingula peccata à juventute mea uſquè in hanc horam, quomodocunq; aut qualitercunquè perpetrata deteſtor & abominor, de ijſquè ex puro Tui ô pientiſſime DEUS meus amore vehementiſſimè doleo, millieſq; plus dolere deſidero. Et in ſuppletionem doloris illius, qui mihi deeſt, offero Tibi contritionem illam, quàm Unigenitus Tuus pro totius mundi peccatis habuit. Et ut pro graviſſimis à me Tibi irrogatis injuriis ſaltem aliqualiter Tibi ſatisfaciam, offero & exhibeo me paratum, quamcunquè

cunquè de me vindictam ſumere volueris, libentiſſimè ſuſtinere.

Quoniam verò omnis mea ſatisfactio longiſſimè inſufficiens eſt; hinc ad abundantiſſimos JESU Chriſti meritorum theſauros confugio, offerens Tibi omnem ejus paſſionem, quàm Tibi ab inſtanti Conceptionis ſuæ pertulit, uſquè in illam horam, quâ in cruce inclinato Capite Spiritum tradidit. Atquè in ejuſdem ſacratiſſima Vulnera immergo & abſcondo omnia mea peccata, & negligentias? rogans, ut pretioſo ejus Sanguine omnes maculas meas eluere, ignequè charitatis ejus conflagrare digneris.

Ab omnibus & ſingulis, quos verbo aut facto unquam contriſtavi, humillimè veniam deprecor: paratumquè me offero omne damnum honoris atquè bonorum illis juxta menſuram juſtitiæ compenſare. Omnibus autem qui me unquam verbo, aut facto offenderunt, ex animo remitto omnem injuriam & vindictam, ſicut Chriſtus in cruce inimicis & crucifixoribus ſuis ignovit, pro iiſquè Patrem ſuum exoravit.

Agnoſco & profiteor me per propria merita Cœlum adipiſci non poſſe; unde nec in iiſdem, ſed in meritis atquè Paſſione dilecti Filij Tui, Sanctorumq; patrociniis confido. Quibus tam firmiter innitor, quòd nequaquam mihi, imaginari queam, licèt millies plus Te offendiſſem, me æternaliter periturum. Ut pote cùm ſciam miſericordiam Tuam in infinitum tranſcendere

Paſſio-

Passionemquè Filij Tui sine mensura præponderare omnibus peccatis meis.

Meipsum totum cum omnibus, quæ sum & possum, integerrimè committo & resigno Tuæ sanctissimæ voluntati orans & optans, at illa de me, per me, & circa me perfectissimo modo adimpleantur. Non cupio unicâ horâ diutiùs vivere, quàm Tibi placeat. Non cupio hac vel illa morte vel infirmitate hinc discedere; sed solùmmodo illâ, quàm Tu mihi immiseris. Imò si mihi liberum esset adhuc mille annis omnibus deliciis vivere, malim tamen voluntati Tuæ conforme esset, hac horâ decedere, quàm præter eandem unico momento vivere.

Amo Te DEUS meus, amor meus, & in & æternum Te amare cupio, quia propter summam perfectionem & magnificentiam Tuam omni amore dignissimus es. Et utinam millies plus Te amare possem. Imò si omnium hominum & Angelorum corda & affectus haberem, libentissimè illa in Tui amorem converterem. Quoniam verò, ut par est, Te amare nequeo: hinc rogo, ut temetipsum pro me tali amore, quali dignus es, amare velis.

Demum protestor, quod ut verus Catholicus mori, atquè sacratissimis Confessionis, Communionis & extremæ Unctionis SACRAMENTIS communiri desiderem. Cupio etiam & exopto omnium Missarum, orationum, & suffragiorum, quæ usquè ad diem judicii fient,

parti-

particeps fieri. Imò si esset penes me, ordinarem, ut omni die super omni Altari, & ab omnibus Sacerdotibus pro me defuncto Srcrificium Missæ usquè ad finem mundi offeretur. Quod quoniam in opus deducere nequèo, hinc rogo Te, ô Christe JESU ut temetipsum pro me Patri Tuó offeras in holocaustum & juge sacrificium pro peccatis meis innumeris. Insuper rogo, ut animæ meæ in extrema sua angustia unicum tristissimi, & in agone constituti Cordis Tui suspirium donare, unicamq; Sanguinis Tui guttulam in salutem provenire concedas, Amen.

OBSIGNATIO
Testamenti.

NUnc igitur, ô Beatissima TRINITAS, coram Te atq; tota Cœli Curia profiteor atquè protestor, id omne, quod in hoc Testamento continetur, esse ultimam sinceramquè meam voluntatem atq; sententiam, juxta quàm vivere atquè mori desiderem. Cupioquè quòd hoc meum Testamentum nullo modo irrigari aut infringi debeat; sed eam antequam in & post mortem meam in suo robore & valore per maneat. Et casu quo contingeret me id ipsum unquam revocaturum, hisce protestor revocationem illam nullam & invalidam censeri debere.

Quare deprecor Te JESU benignissime, ut

super

super hac ultima voluntate mea publicum instrumentum erigere, illudq; Sacratissimi Nominis Tui subscriptione confirmare, atquè impressione quinquè Vulnerum Tuorum, ut sigillis consignare digneris. Similiter deprecor & Te ô Beatissima Virgo MARIA, atquè Te ô Beatissime JOANNES Evangelista, tanquàm Regis æterni Archicancellarium, nec non Te ô B. N. mi dilectissime Patrone, tanquam Imperialis Cœlestis Cameræ Assessorem, ut hujus ultimæ voluntatis meæ Testes esse, eiquè Nomina Vestra subscribere, illamquè in Archivo Sanctissime TRINITATIS recondere velitis, ut omni tempore & occurrente causa eidem exhiberi possit. Cujus copiam in hoc libello descriptam semper asservabo, proprijq; nominis subscriptione communiam: ut coram DEO & hominibus notum sit, ad quem secundùm corpus & animam pertineam, quomodoq; vivere & mori cupiam, Tres solummodò gratias, misericorditer mihi à Domino DEO meo concedendas peto.

I. Lachrymosum aspectum, seu intuitum, & lamentabile suspirium, quibus doloribus Domini mei JESU Christi conformer, & veraciter experiri valeam, quantum pro me passus sit.

II. Ut dilectissimæ Matri ejus in vita & in hac infirmitate mea, illis benignitatis oculis me intueri sibi complaceat, quibus Filium in cruce pendentem respexit, & per virtutem amoris,

cor

cor meum uniat Sanctissimo Cordi Domini mei, JESU Christi, mequè inter illos peccatores computare dignetur, qui ipsiùs intercessione & meritis vitam æternam consecuti sunt.

III. Rogo etiam quatenus in mortis agone succurrat mihi Angelica pietas suavissimi cordis mei, ut quandocunquè placuerit Divinæ Majestati suæ animam meam sisti, Dominum meum JESUM Christum placatum inveniam, & me divina illa Charitate, quâ cor suum sacratissimum pro me in Cruce Vulnerandum obtulit, respiciat.

IV. Postremò Tibi Sancte Angele Custos, supremam horam & exitum animæ meæ, quandocunquè illa juxta DEI beneplacitum fuerit, committo, ut à benignissima Manu Tua contra omnes inimicos meos protegar & defendar, consignando per modum protestationis, voluntatis, pauculas has protestationes, quas in Manus Tuas Sanctissimas: humiliter recommendo.

Ita precor, opto & testor
Ego N N. indignus DEI famulus.

SUSPIRIA AGONIZANTIS.

AH JESU Crucifixe miserere mei, JESU Fili David miserere mei, JESU Fili DEI vivi, Fili MARIÆ, salus infirmorum, refugium peccatorum miserere mei in his angustijs:

Ne

Ne abjicias me, qui credo in Te: Ne repellas me qui spero in Te. Ne permittas me separari à Te, qui amo Te ex toto corde, & amare Te desidero in æternum.

JESU in Manus Tuas, JESU in Vulnera Manuum, & Pedum Tuorum.

JESU in amantissimum & sauciatum Cor Tuum commendo corpus & animam meam.

O JESU propitius esto mihi, & miserere mei, JESU in quem credidi, miserere mei JESU, in quem speravi, miserere mei JESU, quem dilexi, miserere mei JESU, ego Tuus sum, Tu meus es, ô JESU in æternum.

O JESU oro Te per pretiosum Sanguinem Tuum pro me effusum, miserere mei, JESU Sanguis Tuus sit quæso balneum salutare peccatricis animæ meæ.

JESU pone Passionem Crucem & Mortem Tuam inter judicium Tuum & animam meam.

Dulcissime JESU, ob honorem & virtutem Tuæ Benedictæ Passionis, jube me adscribi in numerum Electorum Tuorum.

Ne memineris bone JESU iniquitatum mearum, citò anticipent me misericordiæ Tuæ, quia pauper factus sum nimis. *Psal.* 78.

JESU in Te credo, JESU in Te spero, JESU Te amo ex toto corde meo. Doleo ex animo, quòd unquàm offenderim Te.

JESU tota fiducia mea, JESU unicus amor meus, JESU DEUS meus & omnia.

Non

Non fac mecum secundùm justitiam Tuam, sed secundum magnam misericordiam Tuam.

JESU, esto mihi JESUS in vita, & in morte. O JESU in fide Tua vivere & mori cupio.

In Manus Tuas Domine commendo spiritum meum. Suscipe me, ô JESU inter amorosa brachia Tua, quæ pro me in cruce extensa & perforata sunt.

Sancte JOSEPH ora pro me.
Sancta MARIA miserere mei.
JESU miserere mei.

ORATIO

A circumstantibus dicenda pro agonizante.

CHriste JESU crucifixe, in unione ferventissimi amoris, qui Te vitam omnium viventium in cruce mori coëgit, pulsamus ad januam benignissimi Cordis Tui, & rogamus, ut animæ famuli Tui fratris nostri N. peccata omnia dimittas, & Tua sanctissima conversatione, &Tuæ acerbissimæ Passionis merito, omissa ejus suppleas, eumquè superabundantissimam miserationum Tuarum multitudinem facias experiri. Precamur Domine, ut hunc fratrem nostrum N. quem proximè vocare disponis, placitò Tibi modo præpares, eiq; præstes, ut cum vera pœnitentia, perfecta resignatione, plena peccatorum remissione, validissima fide, spe, firma & integra charitate, in perfectissimo statu,

tu, in dulcissimum amplexum, & suavissimum osculum Tuum, feliciter ad Tuam æternam laudem aspiret.

Eja dulcissime Redemptor, Domine JESU, per illas lachrymabiles voces, quas in cruce moriturus edidisti, & passionis doloribus consumptus dixisti: DEUS meus, DEUS meus, ut quid me dereliquisti! ne quæso longè facias à famulo Tuo fratre nostro N. Tuæ miserationis auxilium, nam ille, In hac hora & momento extremæ afflictionis, prædefectione animæ, & consumptione spiritûs Te invocare non valet.

Per triumphum Sanctæ Crucis, & per mortis Passionisquè Tuæ infinitum meritum cogita Domine de eo cogitatione pacis & non afflictionis. Libera eum de omnibus angustiis, Tuisquè Sanctissimis Manibus, quas pro eo in Cruce clavis affigi permisisti, erue eum à tormentis illi debitis, & perduc illum in requiem æternam, Amen.

TRES ORATIONES

A circumstantibus dicendæ dum infirmus agonizat.

Quidam Papa moriturus rogabat suum Sacellanum, ut dum videret eum agonizare, has tres orationes pro eo legeret, quod & fecit. Et post obitum apparuit defunctus, dicens: quod virtute orationum illarum à Christo deleta sint peccata ejus, atq; cum eo Cœlum intraverit. Barthol: à Angelis, Ord: Præd: lib: de præp: ad mortem.

ORA-

ORATIO I.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Pater noſter &c. Ave Maria &c.

DOmine JESU Chriſte, deprecor Te per Tuam agoniam, atq; devotiſſimam orationem, quàm in monte Oliveti oraſti, quando factus eſt ſudor Tuus ſicut guttæ Sanguinis decurrentis in terram, ut eundem ſudorem ſanguineum, quem præ timore mortis tam copioſe fudiſti, Cœleſti Patri Tuo offerre & oſtendere digneris contra multitudinem peccatorum hujus infirmi. Et velis eum in hac hora obitus ſui liberare ab omnibus anguſtijs & pœnis, quas pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe, Amen.

ORATIO II.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.
Pater noſter, &c. Ave Maria &c.

DOmine JESU Chriſte, qui pro ſalute mundi in dura cruce mori dignatus es: deprecor Te, ut amaritudinem illam, quam in eadem ſuſtinuiſti, præſertim quando ſacratiſſima Anima Tua egreſſa eſt de benedicto Corpore Tuo Cœleſti Patri Tuo offerre & oſtendere digneris pro peccatrice anima hujus infirmi, eumquè in hac hora mortis ſuæ liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus, quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe, Amen.

ORATIO III.

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.

Pater noſter, &c. Ave Maria, &c.

DOmine JESU Chriſte, qui per Prophetam Tuum dixiſti: in charitate perpetua dilexi Te, ideo attraxi Te miſerans Tui. Rogo Te per amorem illum, qui Te de Cœlis ad terram ad patiendam omnem miſeriam traxit, Cœleſti Patri Tuo offerre digneris pro anima hujus infirmi: eamquè liberare ab omnibus pœnis & cruciatibus quos pro peccatis ſuis ſe timet meruiſſe: Adſis ei, pie JESU, in hac hora mortis ſuæ, aperi ei januam vitæ; & perduc animam ejus in Paradiſum exultationis, ubi Te laudet per infinita ſæcula, Amen.

Ad Beatam Virginem.

O Intemerata, & in æternum benedicta Virgo MARIA, totius anguſtiæ adjutrix, ſuccurre nobis dulciter, & oſtende famulo Tuo N. fratri noſtro, in extremis exiſtenti, Tuam dulciſſimam & glorioſiſſimam faciem in ultima neceſſitate ſua, & diſperge omnes inimicos ejus in virtute dilectiſſimi Filij Tui, Domini noſtri JESU Chriſti, & Sanctæ Crucis ejus, & libera eum de omni anguſtia corporis & animæ, ut laudes dicat Domino DEO in ſæcula ſæculorum, Amen.

NOTA. *Dominus quibuſdam amicis ſuis revelare dignatus eſt, quòd verba infraſcripta morien-*

morientium auribus ingesta, & coram eis recitata, vel ab eis pie prolata, aut cogitata, miræ virtutis sint, adeo; ut nullus fidei Catholicæ cultor perire possit, si in extremis constitutus vero, integroq; ac humili corde pronuntiare, aut apud se revolvere potuerit.

DOmine DEUS ego sum miser ille, quem Tu pro paterna bonitate Tua creasti, & per ignominiosissimam mortem Unigeniti Tui, de potestate inimici redemisti. Tu solus imperium & dominium in me habes meque salvare potes secundùm immensam misericordiam Tuam, in qua spero & confido. Miserere mei DEUS, & salva me.

ORATIO DOMINICA

Pro Defunctis, quàm Christus ipse fecit.

Cum B. Mechtildis pro Defunctis communicasset, apparuit ei Christus dicens: Dic pro ijs unum Pater noster. *Et intellexit: quòd oraret, ut sequitur, Quòd cùm fecisset, vidit magnam multitudinem animarum ad Cœlum ascendere.*

l. 1. c. 21.

P*Ater noster, qui es in Cœlis.* Obsecro digneris animabus in purgatorio ignoscere, quod Te suum venerandum, dilectumq; Patrem, qui eas ex mera gratia in filios adoptasti, non dilexerint ut, nec debitum honorem exhibuerint; sed è suis cordibus, in quibus habitare semper desiderabas, ejecerint. Et in suppletionem hu-

jus culpæ, ipſarum offero Tibi illum amorem & honorem, quem dilectus Filius Tuus in terris Tibi exhibuit, illamquè copioſam ſatisfactionem, quâ omnia ipſarum peccata abſolvit, A.

Sanctificetur Nomen Tuum. Obſecro Te pie Pater, digneris animabus Defunctorum ignoſcere, quòd ſanctum Nomen Tuum nunquam dignè honoraverint, rariuſquè ejuſdem devotè recordati fuerint; ſed ſæpius idipſum in vanum aſſumpſerint, atq; per turpem vitam ſuam Chriſtiani hominis ſe indignos rèddiderint. Et pro ſatisfactione hujus peccati offero Tibi perfectiſſimam Filij Tui ſanctitatem, quâ benedictum Nomen Tuum prædicando exaltavit, in omnibus ſanctiſſimis operibus ſuis honoravit, Aṁ.

Adveniat Regnum Tuum. Obſecro Te pie Pater, digneris animabus Defunctorum ignoſcere, quòd Te, regnumq; Tuum, in quo ſolo conſiſtit vera requies, æternaq; gloria, nunquam cum fervore deſideraverint, nec ſtudiosè quæſierint Pro qua ipſarum acedia, quam in omni bono habuerunt, offero Tibi ſanctiſſima Filij Tui deſideria, quibus voluit nos eſſe regni ſui cohæredes, Amen.

Fiat voluntas Tua ſicut in Cœlo & in terra. Obſecro Te pie Pater, digneris animabus Defunctorum maximè verò animabus Religioſorum ignoſcere, quod voluntatem Tuam ſuæ non præpoſuerunt, nec eandem in omnibus dilexerunt, ſed valde frequenter ſecundùm vo-

lunta-

luntatem ſuam vixerunt & fecerunt. Et in emendationem hujus ſuæ inobedientiæ offero Tibi unionem dulciſſimi Cordis Filij Tui cum voluntate Tua: ſicut & promptiſſimam ejus obedientiam, quâ Tibi obediens fuit uſquè ad mortem crucis, Amen.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Obſecro Te pie Pater digneris animabus Defunctorum ignoſcere, quòd nobiliſſimum Altaris SACRAMENTUM non cum integro deſiderio, devotione & amore ſuſciperint; ſed multæ earum ſe planè ejuſdem indignas reddiderint & multæ idipſum raro, aut fermè nunquam ſuſceperint. Pro quo earum peccato offero Tibi maximam Filij Tui ſanctitatem & devotionem ſicut & ferventem ejus amorem, & ineffabile deſiderium, quòd hunc pretioſum theſaurum nobis donavit, Amen.

Et dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Obſecro Te pie Pater digneris animabus Defunctis ignoſcere omnia peccata, quæ commiſerunt in ſeptem peccatis capitalibus, maximè quòd ijs, qui eas offenderunt, ignoſcere noluerint, nec inimicos ſuos dilexerint. Pro quibus peccatis offero Tibi ſuavifluam orationem, quam Filius Tuus in cruce pro inimicis ſuis oravit, Amen.

Et ne nos inducas intentationem. Obſecro Te pie Pater, digneris animabus Defunctorum ignoſcere, quòd vitijs & concupiſcentijs non reſtiterint;

rint; & multis malis spontè se irrecierint. Pro quibus multiplicibus peccatis offero Tibi gloriosam Filij Tui victoriam, quâ mundum, & diabolum devicit: sicut & totam sanctissimam ejus vitam & conversationem, cum omni suo labore & defatigatione, amarissimaquè Passione & morte ejus, Amen.

Sed libera nos, & ipsas ab omni *malo*, omniq; pæna per dilecti Filij Tui merita, & perduc nos & illas ad regnum gloriæ Tuæ, quod Tu ipse es, Amen,

O R A T I O

Brevis & efficax pro Defunctis.

MIserere piissime JESU animabus in purgatorio detentis, pro quibus redimendis humanam naturam assumpsisti mortemq; amarissimam subijsti. Miserere gemituum, miserere lachrymarum, quas ad Te fundunt, & per virtutem Passionis Tuæ condona eis pœnas peccatis ipsarum debitas. Descendat piissime JESU Sanguîs Tuus in purgatorium & recreet, refrigeret que omnes ibi captivas ac patientes. Porrige eis dexteram, & duc eas in locum refrigerij, lucis ac pacis, Amen.

C L E M E N S VIII.

Concessit, ut toties liberes animam expurgatorio, quoties ad honorem sacræ Syndonis Christi JESU dicis sequentem orationem.

DEUS qui nobis in sancta Syndone, qua Corpus Tuum sacratissimum de cruce depositum,

tum, à Joſeph involutum fuit: Paſſionis Tuæ memoriam reliquiſti: concede propitius, ut per mortem & ſepulturam Tuam ad reſurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis & regnas cum DEO Patre in unitate Spiritûs ſancti DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

LITANIÆ
De Omnibus SANCTIS.

KYrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.
Chriſte audi nos, Chriſte exaudi nos.
Pater de Cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere nob:
Spiritûs Sancte Deus, Miſerere nobis.
Sancta TRINITAS unus Deus, Miſerere:
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta DEI-Genitrix, Ora pro nobis.
Sancta Virgo Virginum, Ora pro nobis.
Sancte Michàél, Ora pro nobis.
Sancte Gabriel, Ora pro nobis.
Sancte Raphàél, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli, Orate:
Omnes Sancti Beatorum Spirituum Ordinès,
Sancte Joannes Baptiſta, Ora pro nobis.
Sancte Joſeph, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ, Ora:
Sancte Petre, Ora pro nobis.
Sancte Paule, Ora pro nobis.

Sancte Andrea, Ora pro nobis.

Sancte Jacobe, Ora pro nobis.

Sancte Joannes, Ora pro nobis.

Sancte Thoma, Ora pro nobis.

Sancte Jacobe, Ora pro nobis.

Sancte Plilippe, Ora pro nobis.

Sancte Bartholomæe, Ora pro nobis.

Sancte Mathæe, Ora pro nobis.

Sancte Simon, Ora pro nobis.

Sancte Thaddæe, Ora pro nobis.

Sancte Mathia, Ora pro nobis.

Sancte Barnaba, Ora pro nobis.

Sancte Luca, Ora pro nobis.

Sancte Marce, Ora pro nobis.

Omnes Sancti Apoſtoli, & Evangeliſtæ, Ora:

Omnes Sancti Diſcipuli Domini, Orate pro:

Omnes Sancti Innocentes, Orate pro nobis.

Sancte Stephane, Ora pro nobis.

Sancte Laurenti, Ora pro nobis.

Sancte Vincenti, Ora pro nobis.

Sancte Adalberte, Ora pro nobis.

Sancte Stanislae, Ora pro nobis.

Sancte Floriane, Ora pro nobis.

Sancti Fabiane, & Sebaſtiane, Orate pro nob:

Sancti Joannes, & Paule, Orate pro nob:

Sancti Coſma, & Damiane, Orate pro nob:

Sancti Gervaſi, & Protaſi, Orate pro nob:

Omnes Sancti Martyres, Orate pro nob:

Sancte Sylveſter, Ora pro nobis.

Sancte Gregori, Ora pro nobis.

Sancte

Sancte Ambrosi, Ora pro nobis.
Sancte Augustine, Ora pro nobis.
Sancte Hieronyme, Ora pro nobis.
Sancte Martine, Ora pro nobis.
Sancte Nicolae, Ora pro nobis.
Sancte Casimire, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Pontifices, & Confessores, Or:
Omnes Sancti Doctores, Orate pro nob:
Sancte Antoni, Ora pro nobis.
Sancte Benedicte, Ora pro nobis.
Sancte Bernarde, Ora pro nobis.
Sancte Dominice, Ora pro nobis.
Sancte Francisce, Ora pro nobis.
Sancte Hyacinthe, Ora pro nobis.
Sancte Ignati, Ora pro nobis.
Sancte Joannes Canti, Ora pro nobis.
Sancte Joseph Calasanti, Ora pro nobis.
Omnes Sancti Sacerdotes & Levitæ, Orate:
Omnes Sancti Monachi, & Eremitæ, Orate:
Sancta Anna, Ora pro nobis.
Sancta Maria Magdalena, Ora pro nobis.
Sancta Agatha, Ora pro nobis.
Sancta Lucia, Ora pro nobis.
Sancta Agnes, Ora pro nobis.
Sancta Thecla, Ora pro nobis.
Sancta Cæcilia, Ora pro nobis.
Sancta Catharina, Ora pro nobis.
Sancta Barbara, Ora pro nobis.
Sancta Anastasia, Ora pro nobis.
Sancta Hedvigis, Ora pro nobis.

Sancta Eliſabeth, Ora pro nobis.
Omnes Sanctæ Virgines, & Viduæ, Orate.
Omnes Sancti & Sanctæ DEI, Intercedite
Propitius eſto, Parce nobis Domine,
Propitius eſto, Exaudi nos Domine,
Ab omni malo, Libera nos Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira Tua,
A ſubitanea & improviſa morte,
Ab inſidijs diaboli,
Ab ira & odio, & omni mala voluntate,
A ſpiritu fornicationis,
A fulgure & tempeſtate,
A peſte fame & bello,
A morte perpetua,
} Libera nos Domine.
Per Myſterium Sanctæ Incarnationis Tuæ,
Per Adventum Tuum,
Per Nativitatem Tuam,
Per Baptiſmum, & ſanctum Iejunium Tuum
Per Crucem & Paſſionem Tuam,
Per Mortem & ſepulturam Tuam,
Per Sanctam Reſurrectionem Tuam,
Per Admirabilem Aſcenſionem Tuam,
Per Adventum Spiritûs Sancti Paracleti,
In die judicij,
} Libera nos Domine.
Peccatores, Te rogamus audi nos.
Ut nobis parcas, Te rogamus audi nos.
Ut nobis indulgeas, Te rogamus audi nos.
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, Te rogamus audi nos.

Ut

Ut Ecclesiam Tuam sanctam regere & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut Dominum Apostolicum, & omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut Regibus, & Principibus Christianis pacem, & veram concordiam donare digneris, Te:
Ut cuncto populo Christiano pacem, & unitatem largiri digneris, Te rogamus audi n:
Ut nos metipsos in Tuo sancto servitio confortare & conservare digneris, Te rogamus:
Ut mentes nostras ad Cœlestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris, sempiterna bona retribuas, Te rogamus audi nos.
Ut animas nostras, fratrum propinquorum, & benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias, Te rogamus audi nos.
Ut fructus terræ dare, & conservare digneris, Te rogamus audi nos.
Ut omnibus Fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, Te rogamus audi n:
Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos,

Kyrie

Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon,
Kyrie eleiſon.

Pater noſte, ſecreto.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem,*
℟. *Sed libera nos à malo.*

PSALMUS 69.

DEUS in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina.

Confundantur, & revereantur qui quærunt animam meam:

Avertantur retrorſum, & erubeſcant, qui volunt mihi mala.

Avertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent, & lætentur in Te omnes, qui quærunt Te; & dicant ſemper: Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare Tuum.

Ego verò egenus, & pauper ſum: DEUS adjuva me.

Adjutor meus, & liberator meus es Tu: Domine ne moreris.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui S. &c.

℣. Salvos fac ſervos Tuos,
℟. DEUS meus ſperantes in Te,
℣. Eſto nobis Domine turris fortitudinis,
℟. A facie inimici.
℣. Nihil proficiat inimicus in nobis,
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.
℣. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis, ℟. Neq;

℟. Neq; ſecundùm iniquitates noſtras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice noſtro N.

℟. Dominus conſervet eum & vivificet eum, & beatum faciat eum in terra, & non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus noſtris,

℟. Retribuere dignare Domine omnibus nobis bona facientibus propter Nomen Tuum vitam æternam, Amen.

℣ Oremus pro Fidelibus Defunctis,

℟. Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis.

℣. Requieſcant in pace, ℟. Amen.

℣. Pro fratribus noſtris abſentibus,

℟. Salvos fac ſervos Tuos, Deus meus ſperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de ſancto,

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. *Domine exaudi orationem meam,*

℟. *Et clamor meus ad Te veniat.*

OREMUS.

DEUS, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere ſuſcipe deprecationem noſtram: ut nos, & omnes famulos Tuos, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio Tuæ pietatis clementer abſolvat.

EXaudi, quæſumus Domine ſupplicum preces, & confitentium Tibi parce peccatis, ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus & pacem.

Ineffa-

INeffabilem nobis Domine, misericordiam Tuam clementer ostende: ut simul nos & à peccatis omnibus exuas, & à pœnis quas pro his meremur eripias.

DEus, qui culpâ offenderis, pœnitentiâ placaris, preces populi Tui supplicantis propitiùs respice: & flagella Tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

OMnipotens sempiterne DEUS, miserere famulo Tuo Pontifici nostro N. & dirige eum secundùm Tuam clementiam in viam salutis æternæ: ut Te donante Tibi placita cupiat, & tota virtute perficiat.

DEus, à quo sancta desideria, recta consilia, & justa sunt opera; da servis Tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem: ut & corda nostra mandatis Tuis dedita, & hostium sublata formidine, tempora sint Tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum, Amen.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Ad MATUTINUM.

MIseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

HYM-

HYMNUS.

DEUS cunctorum arbiter,
Pijs Defunctis veniam:
Concede misericorditer.
Et da Cœlestem patriam.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

OREMUS.

DEUS, qui justitiam Tuam misericordiâ temperas, exaudi nos famulos Tuos, pro animabus fidelium defunctorum supplicantes, & propter miserationis Tuæ abundantiam, nec non Unigeniti Tui Redemptionem copiosam, Sanctorumq; omnium intercessionem perpetuam, pœnas quas adhuc justitiæ Tuæ luunt debitas, illis misericorditer indulge, & ad videndam Majestatis Tuæ claritatem, eas quam primùm admitte. Qui vivis & regnas DEUS, in sæcula sæculorum, Amen.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, ℟. Amen.

Ad PRIMAM.

MIseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

PAter origo omnium,
Da mentibus fidelium:
Quas flamma purgans cruciat,
Æternum refrigerium.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

OREMUS.

DEus, qui juſtitiam Tuam miſericordiâ temperas, &c. *ut ſupra.*

Ad TERTIAM.

MIſeremini, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

HYMNUS.

FIli Patris & Virginis,
Per Tuæ mortis merita:
Ereptas flammis animas,
Cœlo beandas adſere.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

OREMUS.

DEus, qui juſtitiam Tuam miſericordia temperas, &c. *ut ſupra.*

Ad SEXTAM.

MIſeremini, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me

HYMNUS.

O Ignis Sancte Spiritûs,
Ignem qui torquet animas:
Extingue Tuo flamine,
Et ipſas DEO fac frui.

℣. *Requi-*

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

O R E M U S.

DEus, qui justitiam Tuam misericordia temperas, &c. *ut supra*

Ad N O N A M.

MIseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me gemitus mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

H Y M N U S.

MARIA Mater pauperum,
Mentes solutæ corpore:
Quas Manus gravat Domini,
Tuum juvamen sentiant.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

O R E M U S.

DEus, qui justitiam Tuam misericordia temperas, &c. *ut supra.*

Ad V E S P E R A S.

MIseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

H Y M N U S.

O Spiritus Angelici,
Juvate pias Animas:
Potentibûs auxiliîs,
Hoc vestri possunt ordines.

℣. *Requi-*

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

O R E M U S.

DEus, qui justitiam Tuam misericordia temperas, &c. *ut supra.*

Ad COMPLETORIUM.

MIseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia Manus Domini tetigit me: Circumdederunt me dolores mortis, & dolores inferni circumdederunt me.

H Y M N U S.

TUrmæ Sanctorum facite,
Ut animæ fidelium:
Diurni vultus gloriâ,
Quâ vos gaudetis, gaudeant.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*

℟. *Et lux perpetua luceat eis.*

O R E M U S.

DEus, qui justitiam Tuam misericordiâ temperas, exaudi nos famulos Tuos, pro animabus fidelium Defunctorum, supplicantes, & propter miserationis Tuæ abundantiam, nec non Unigeniti Tui redemptionem copiosam, Sanctorumq; omnium intercessionem perpetuam, pœnas quas adhuc justitiæ Tuæ luunt debitas, illis misericorditer indulge, ad videndam Majestatis Tuæ claritatem, eas quamprimùm admitte. Qui vivis & regnas DEUS in sæcula sæculorum, Amen.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace, ℟. Amen.

COMMENDATIO.

ACceptam Sancta TRINITAS,
Hanc pro piis Fidelibus:
Noſtram ſollicitudinem,
Infunde ſemper pluribus,
Amorem hunc in animas:
Et dum nos par ſors obruet,
Par feramus auxilium, Amen.

ORATIO
pro Patre, & Matre.

DEUS, qui nos Patrem & Matrem honorare præcepiſti, miſerere clementer animabus Patris, ac Matris meæ, eorumq; peccata dimitte, meque eos in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum vivit, & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Si offeres pro Fratribus, Benefactoribus, hanc ſubſtituens.

DEUS, veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator, quæſumus clementiam Tuam, ut noſtræ congregationis Fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierunt, Beata MARIA ſemper Virgine intercedente, cum omnibus Sanctis Tuis, ad perpetuæ beatitudinis conſortium, pervenire concedas. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum: qui Tecum vivit & regnat in unitate

Spiritûs

Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Si pro uno aliquo offeres, hæc Oratio ponenda.

INclina Domine Aurem Tuam ad preces noſtras, quibus Tuam miſericordiam ſupplices deprecamur, ut animam famuli Tui N. quam de hoc ſæculo migrare juſſiſti, in pacis ac lucis regione conſtituas, & Sanctorum Tuorum jubeas eſſe conſortem. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum; Qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Si pro una Defuncta.

QUæſumus Domine pro Tua pietate, miſerere animæ famulæ Tuæ N. & à contagijs mortalitatis exutam, in æternæ Salvatoris partem reſtitue. Per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum Filium Tuum, qui Tecum vivit & regnat in unitate Spiritûs Sancti DEUS, per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine,*
℟. *Et lux perpetua luceat eis.*
℣. *Requieſcant in pace,* ℟. *Amen.*

SEQUENTIA.

DIes iræ dies illa,
Solvet ſæclùm in favillla:
Teſte David cum Sibilla.

Quantus

Quantus tremor eſt futurus,
Quando Judex eſt venturus,
Cuncta ſtrictè diſcuſſurus.
Tuba mirum ſpargens ſonum,
Per ſepulchra regionum,
Coget omnes ante Thronum.
Mors ſtupebit & natura,
Cùm reſurget creatura,
Judicanti reſponſura.
Liber ſcriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.
Judex ergo cum ſedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.
Quid ſum miſer tunc dicturus,
Quem Patronum rogaturus?
Cùm vix juſtus ſit ſecurus.
Rex tremendæ Majeſtatis,
Qui ſalvandos ſalvas gratis,
Salve me fons pietatis.
Recordare JESU pie,
Quòd ſum cauſa Tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.
Quærens me, ſediſti laſſus:
Redemiſti crucem paſſus:
Tantus labor non ſit caſſus.
Juſte Judex ultionis,
Donum fac remiſſionis:
Ante diem rationis.

Ingemiſco, tanquàm reus:
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce DEUS.
Qui Mariam abſolviſti,
Et latronem exaudiſti,
Mihi quoquè ſpem dediſti.
Preces meæ non ſunt dignæ:
Sed Tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præſta,
Et ab hædis me ſequeſtra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro ſupplex & acclinis,
Cor contritum quaſi cinis,
Gere curam mei finis.
Lachrymoſa dies illa,
Qua reſurget ex favilla,
Judicandus homo reus.
Huic ergo parce DEUS:
Pie JESU Domine,
Dona eis requiem, Amen.

CALEN-

CALENDARIUM

EXHIBENS

Methodum Practicam

Benè moriendi, Exemplîs

SANCTORUM

In singulos Anni dies

JLLUSTRATUM:

Omnium Mortalium usui denuò,

RECUSUM.

Hymnus Omnibus Sanctis ejus, Filiis Ifràél, populo appropinquanti fibi: gloria hæc eft omnibus Sanctis ejus. *Pfalm.* 148.

Beati fervi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit vigilantes. *Lucæ c.* 12.

PRÆFATIO
Ad LECTOREM.

PEr frequens tibi est, pro negotiis disponendis Calendarium consulere, ut scias, quis, qualisve sit dies, an Cœlum faveat? &c. Negotium habes omnium negotiorum, MORI, à quo felix, vel infelix pendet Æternitas. Huic disponendo; ecce Calendarium novum? in hoc enim negotio vel maximè necesse est, observes; quali moriaris die, fasto, an nefasto, & an Cœlum faveat. Mori *quidem naturæ est; sed artis est,* bene mori. *Hanc ut discas, dies singulos observa: nam ars* bene moriendi, *hoc uno traditur præcepto:* Ad mortem te bene præpara. *Ut autem ad incertam mortis diem bene sis præparatus, fac omni die sis paratus. Pro quo Calendarium hoc consule: in eo ùt reperies, nullam non esse diem, quâ mori non possis, ità nullam esse, quâ mori non possis bene. Dies hic nefastus nullus est, nisì quem tu ipse feceris morte infelici (& tuâ quidem culpâ) nefastum. In Calendariis cæteris sæpe non favet Cœlum negotiis bene conficiendis; ast in hocce Calendario semper favet. Sidus quotidie propitium oritur; quo si utaris, quod optas facilè consequêris; hoc est: assignatur quotidie è Divis aliquis, quem si imiteris, si colas, si invoces, non deerit morienti. Quid enim est,* ad mortem se bene præparare, *quàm* bene vivere? *quomodo autem*

do autem meliùs vives, quàm si vestigiis, quibus Sancti ad bene moriendum abierunt, insistas? si devoto eos cultu amicos tibi facias? si roges, ut Patroni assistant? Quàm laboras, ut spiritualem tibi Patrem eligas & concilies, qui in agone te languentem excitet, luctantem erigat: & si nactus es virum ferventem, pium, facilem, promptum, industrium, & negotii tam ardui expertum, magnam felicitatis partem te, assecutum opinaris. Laudo, non improbo. Sed quantò felicior eris, si habueris è Cœlitibus, qui tibi assistat morienti, quem millenos inter reperias pium, facilem, promptum, ferventem, industrium magìs, quàm qui quòd ardentissimo Divini amoris oceano totus est immersus, & vult opitulari, & quod vult potest; imò, quod maximum est, quem reperias negotii tam ardui magìs expertum, quàm qui experientiâ didicit propriâ, quàm sit periculosum mori, *& tot inter insidias,* bene mori? *Ejusmodi non unum, sed plurimos Calendarium hoc proponit, quos tibi concilies. Manè igitur, priusquam ad alia te negotia conferas, pro negotio omnium maximè agendo inspice Calendarium, & quod illius diei Sanctum fecisse leges, imitari per diem se propone: deinde toto cordis affectu Sanctum ipsum pro felici morte Patronum roga. Idem sub fine Sacri, cui interes, & sæpius per diem, & priusquam vesperi decumbas, præstare non erit pœnitiosum. Et nè dubita, sic* bene ad bonam mortem, quam (scio) unicè desideras, bene te præparaveris. *Vale.*

JANUA-

JANUARIUS.

I. JANUARII.

J*ESUS octavo à Nativitate die circumcisus Sanguinem copiosè fudit. O! quantos Sanguinis imbres vitæ vespera dabit, si aurora ejus cruore tam multo rubet! tua scelera, ô! homo, culter erant (verè saxeus) qui JESUM infantem sic sauciavit.*

O! JESU Fili MARIÆ, annorum vitæ meæ: & totius æternitatis sanctissimum centrum, da pro novo Annô Te ipsum mihi & me Tibi: ut ità Nomini Tuo serviat annus meus, omnes anni mei, menses, hebdomadæ, dies, horæ, minuta, & momenta vitæ & mortis meæ: ut singula, Tua sint, & omnia Tuis meritis unita, influant in divinum Oceanum sacro-sanctæ Æternitatis Tuæ, ut felici morte, Annôs temporis mei concludam, & simul inchòém nunquam finiendos annôs æternos illius gloriæ, ad quam me creâsti, utq; illam haberem, factus es JESUS, Amen.

NB. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti,

cti, quos felici morte defunctos hodie felici æternitate donavit DEUS.

Omnes Sancti mei nominis, & meæ Patriæ, ac Patroni mei menstrui omnes.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi nascenti prima fuit, dies.

Omnes Sancti, quibus sacra est illa, quæ mihi morienti ultima erit, dies.

Omnes Sancti, & Sanctæ DEI, tuq; ô MARIA Mater agonizantium: orate pro me & omnibus hodie nascentibus, & hodie agonizantibus. Impetrate mihi & illis à Crucifixo JESU felicem mortem, & beatam æternitatem, Am.

Credo, spero, amo, adoro Te pulcherrime ac optime super omnia DEUS meus! & ideo doleo, ac desidero plùs dolere & confiteri. Doleo super omnia, quòd Te tam ingratus offenderim. DEUS meus & omnia! In gratiarum actionem, & satisfactionem, offero Tibi hujus diei, & vitæ meæ totius actiones, atquè momenta singula.

NB. *Hæc superior clausula quotidie repetitur.*

II. JANUARII.

Sanctus MACARIUS *plenus sanctarum lachrymarum senex, & semper ad DEUM vigil, ad se ipsum inquiebat:* Anime mi, nè Te in terras è Cœlo demitte; ibi DEUM, & cum DEO DEI Aulam omnem habes. *Toto septennio cocti nihil in cibum admisit: quadragesimam sinè cibo, viginti dies sinè somno transegit, pro castitate sex menses*

menses nudum se culicum aculeis exposuit. Centenarius deniq; obiit. Vis diu tibi & DEO vivere? corpori parum indulge.

Sancte MACARI, per lachrymas, per jejunia, per puritatem ac preces Tuas omnes, rogo, doce me animum nunquam è Cœlo demittere, ut tandem beata morte animam meam è terris in Cœlum emittam, ibi DEUM, & cum DEO, DEI omnem Aulam habiturus. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *ut supra pag.* 1.

III. JANUARII.

Sancta GENOVEFÆ, *quòd templa frequentaret, Mater alapam, matri DEUS cæcitatem inflixit, quam filia sustulit. Per hebdomadem non nisì bis cibum, vinum, virginitatis venenum nunquàm admisit. Hinc Cælum quoties aspexit, illa lachrymis, hoc gaudiis fluere est visum.*

Sancta Virgo ora pro me, ut illuminet cæcitatis meæ tenebras JESUS: ut ex his tenebris ad æternum gloriæ lumen transeam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut supra pag.* 1.

IV. JANUARII.

Sanctus TITUS, *Pauli Discipulus, Virgo vixit. Morienti facies jam gloriosa Cælesti lumine radiabat. Vitam in laboribus pro animarum lucro actam ubi posuit, animam Cœlo Angeli invehentes jusserunt quiescere. Sic Virgines & Apostoli moriuntur.*

Sancte TITE, roga pro me JESUM, ut in

in hora mortis illuminet Vultum super me, nê hora mortis meæ sit potestas tenebrarum; sed ut cum Angelis lucis, videam Faciem DEI. Hoc idem mihi impetrare, &c. *ùt supra pag.* 1.

V. JANUARII.

Sanctus EDVARDUS *in Angliæ Regem à S. Petro unctus, conjugio virginitatem copulavit, mendicum ægrum* (pium onus) *humeris regiis ad aram portavit, & sanavit. Undâ, quâ manus ipse lavit, cæci tenebras suas eluerunt. Sub Sacro præsenti ipse ex ara JESUS benedixit. S. Joannis Evangelistæ amore rogantibus, nihil negavit: quo dein nunciô mortis suæ horam didicit. Mortui corpus uti & anima viventis, corruptionem non vidit.*

Sancte EDVARDE, impetra mihi, ut sic vivam JESU meo, ut in morte, & in judicio supremo mihi benedicat JESUS, & ego deinde unà Tecum æternum benedicam JESUM. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra p.* 1.

VI. JANUARII.

Sancti TRES REGES *è regnis suis in Bethleem abierunt, ut Christo nato dicerent Sacramentum: nè aberrarent, Stellam ducem addidit Cælum. Nè ve reduces in Herodis irati manus inciderent, è Cœlo moniti per aliam viam regressi sunt. Sic Superis curæ est, qui superos curat.*

O! Sancti Tres Reges, GASPAR, MELCHIOR, BALTASAR! pro me orate, ut Cœleste lumen sic per vitæ hujus pericula sequar,

ut

ut ad Christum, cui Sacramentum in Baptismo dixi, in æternitate beata sucurus, pertingam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut suprà p.* 1,

VII. JANUARII.

Sanctus RAYMUNDUS, *nobilis Hispanus à puero MARIÆ devotus, adultus in ejus Annuntiationem augustiùs celebrandam etiam liberalis. In D. Dominici cœtum admissus MARIÆ monitu pro liberandis vinctis Sodalitatem erexit. Angelo suo usus excitatore, ut surgeret ad preces: & palliô, ut per mare navigaret.*

Sancte RAYMUNDE, qui jam es in portu æternitatis, & potentissimus es apud JESUM & MARIAM orator, ora pro me, ut ità JESU & MARIÆ cor meum & omnes vires liberaliter impendam, ità Angelo me ad sancta excitanti paream, ut me suprema Angeli Tuba à somno mortis excitet ad æternum laudandum DEUM meum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, *ùt suprà pag* 1.

VIII. JANUARII.

Sancto LAURENTIO JUSTINIANO *decimo nono annô, sapientia divina osculum tulit, & omnis ei mundus dissipuit. Episcopus, Pater pauperum est factus, dicens: Cœlo excludendos divites, nisì janitores pauperes corrumperent. Moriturus lectum respuit, quòd Christus obiisset in cruce: quem ut vacuus meritis quis judicem non horreret, Crucem ejus complectendam ajebat. Crux arrha Salutis.*

Sancte LAURENTI JUSTINIANE ora pro me verè meritis vacuo, ut vacuitatem meam in die mortis & judicii, impleant infinita merita Crucifixi Judicis mei, JESU Christi. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt suprà pag.* 1.

IX. JANUARII.

Sancti JULIANUS & BASILISSA *conjuges, quòd cogitarent jungere virginitatem nuptiis, adfuit cum MARIA JESUS, & animos addidit, dum utriusq; nomen libro vitæ inscriptum ostendit. Hæc Virgo, ille Martyr obiit. Tales convivas meretur virginitas.*

Orate pro me, ut omnes dæmonis versutias vincam, & sic ad æternam gloriam me præparem, ut inscribar & ego libro vitæ, & nullo me unquam peccato deleam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt suprà pag.* 1.

X. JANUARII.

Sanctus MARCIANUS *Confessor orationem suam jejuniis & elemosynis reddebat alatam. Inopem de die obvium nullum vacuum dimisit; noctu per urbem, quibus daret, quærebat. Vestem præter quam unam tum habebat nihil, pauperi dedit, & recepit è Cœlo auream. Da pauperi, qui DEUM cupis debitorem.*

Ora pro me, ut & ego me morti meæ per corporalem & spiritualem eleemosynam ità parem, ut cùm anima corpus hoc velut vestem exuerit, aurea & nuptiali æternitatis veste induatur. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XI.

XI JANUARII.

Sanctus THEODOSIUS *Abbas in se rigidus paucis panibus centum & ampliùs mensas pavit: grano uno granarium totum implevit, militum Duci ejus cilicium pro lorica fuit. Basilio è suis monacho mortem suavissimam impetravit. Indulget iis Deus, quod petunt, qui sibi nihil indulgent.*

O! impetra mihi mortem sanctam, impetra, ut ità meum corpus & animam ad illum transitum disponem, ut omnia, quæ corpore, vel animâ ago, sint mihi solatio morienti. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

XII. JANUARII.

Sanctus ARCADIUS *Martyr, ut Christum servaret, fortunas dimisit, & latuit; ubi verò amicum sui loco captum audiit, Tyranno se stitit, solâ patientiâ tectus, & pro Christo simul & amico servando manus pedesq; præbuit resecandos. Ut vincas, satis est, si Christum habeas.*

Ora pro me, ut ità DEUS manus meas doceat ad prælium, ità dirigat gressus meos in viam æternitatis, ut nec manus mea, nec pes meus me scandalizet; sed totum corpus meum, & anima mea tota DEO meo serviat, ut in æternitate possideam totum DEUM meum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIII. JANUARII.

Sanctus GODEFRIDUS *Cappenbergensis Comes humana omnia posthabuit, ut certius haberet Cœlum: conjugem inter Sanctimoniales, se inter*

D. Norberti Canonicos transtulit. Cœli cupidus, dissolvi identidem cupiens, moriturus obvium habuit Cœlestem Chorum, mortuus nepti multâ luce coruscus apparuit. Vis à DEO honorari? mundi honores fuge.

Sancte GODEFRIDE, precibus Tuis ad illam gloriam, vestem & coronam, ad horam mortis sanctæ, ad quam tam solicitè anhelâsti, me apta & juva, ut sic per temporalia transeam, ut non amittam æterna. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

XIV. JANUARII.

Sancte FELIX *Nolanus, vinculis, quæ pro fide tulit, ab Angelo fuit exemptus. Latenti telas araneæ pro muro contra hostes texuerunt, & Angeli sex menses cibum ministrârunt, & solatio fuerunt. Tutissimus ubiq; est, quem DEUS tuetur.*

Defende me, ô! Sancte FELIX, contra persecutores, in mortis articulo animam meam ad mortem æternam quæsituros: oppone Te cum Angelo Tuo murum pro me; recrea me, ut in æternitate felici sim Tecum æternum felix. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XV. JANUARII.

Sanctus PAULUS *Eremita,* 15. *annôs natus, eremum subiit: ibi ad* 110. *vitæ annum palma eadem eum & vestiit & pavit. Corvus annis* 60. *indies panem ei dimidium, at cùm Antonius adesset, integrum tulit. Flexis genibus*

orans

orans expiravit: animam inter Cœlites; Cœlum petere vidit Antonius. Tumulum, in quo humaretur, leones duo effoderunt. Securum iter est è cella in Cœlum.

Sancte PAULE ora pro me, ut tales hic ſocios amem, qui me ducant, vel quos ego ducam illuc ubi es: ora ut orem bene, & inter bonos melior, inter malos bonus vivam & moriar bonus, eamq; ad illos choros, inter quos Te vidit Antonius. Hoc idem mihi impetrate omnes, &c. *ut ſuprà pag. 1.*

XVI. JANUARII.

Sanctus FURSEUS *Anglus Confeſſor in Cœlum raptus ab Angelis, qui vel dæmonum jacta in eum tela clypeo excipiebant, vel crimina objecta diluebant. Iuſſus ad corpus reddit, ut Orbem, quem viderat perſidiâ, diſcordiâ, avaritiâ, & crudelitate ardere, corrigeret. Correxit decenni labore, & ad æternam quietem abiit: Quietem hanc non ſperet, qui non laborat.*

Ora pro me, Angelice Apoſtole; ut & me & alios à mundi & inferni flamma Cœlo ſervem, & Cœleſtes Angeli me ſcuto ſuo à dæmonum igneis jaculis protegant, nunc & in hora felicis mortis meæ. Hoc idem &c. *pag.* 1.

XVII. JANUARII.

Sanctus ANTONIUS *Ægyptius Confeſſor, ut perfectus eſſet (quod in Templo audiit) juvenis, omnia vendidit, dedit pauperibus. Chariſmata, quæ in aliis meliora vidit, eſt æmulatus.*

A dæmo-

A dæmonibus mirè tentatus, ſed vicit, quia vigil: laqueis mundum plenum vidit; ſed evaſit, quia humilis. Fac ſimiliter, ſi vis ſimiliter vincere.

Ora pro me Sancte ANTONI, ut ſemper vigilem, & humilis ſim quò & dæmones vincam, & mundi laqueos evadam; & laqueo contrito liberer, aſſerarq; in libertatem filiorum Dei. Hoc idem mihi, &c. *ut ſupra pag.* 1.

XVIII. JANUARII.

Sancta PRISCA *Romana, Virgo nobilis, tredecim annos nata, verberibus operta, ferventi adipe delibuta, leonibus objecta, triduanâ inediâ afflicta, in equuleos ungulis ferreis cruciata, rogo accenſo injecta, ſed illæſa: tandem vocante per Angelos ſponſo, capite plexa ad nuptias evolavit. Cadaver, nè quo modo læderetur, ab aquilis cuſtoditum. Vis omnibus his altior eſſe? eſto virgo.*

O! tenerrima & fortiſſima Virgo, per illa mortis Tuæ inſtrumenta, doloribus quidem ſed & gloriâ plena, Te rogo: juva me, ut per mortis meæ dolores ſic tranſeam, ut mortis æternæ dolores evitem, & ad gaudiorum illorum æternitatem ducar, ubi Tu cum Virginum Sponſo gaudes. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIX. JANUARII.

Sanctæ ABUNDANTIÆ *Virgini naſcenti & morienti, ultro campanæ applauſerunt, & ultro, cùm baptizaretur, in Templo lampades accenſæ. Octennis tam familiaris fuit Jeſulo, ut aureum*

ab eo

ab eo pomum acceperit, & in vicem flores hibernos porrigeret. Tam pulchra est casta generatio, ut & superos in amorem sui trahat!

Nè quæso, ô! DEO tam chara Virgo, mei morientis obliviscere inter æternas Tuas delicias apud JESUM Tuum & MARIAM. Ora illos, ut lætitiam Angelis creet mea mors, non dæmonibus: ut in Templo sanctæ gloriæ suæ DEUM meum unà Tecum benedicam, æternum benedictum. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XX. JANUARII.

Sanctus SEBASTIANUS *sub Diocletiano Imperatore miles, sed Christianus, multos firmavit. Unde è Cœlo audiit: nunquam non mecum eris. Propter Christum sagittis meta factus, & metam sanctam attigit DEUM, apud quem pestiferorum est Advocatus. Multa potest apud DEUM, qui pro DEO patitur multa.*

Tuis quæso precibus, Sancte SEBASTIANE, apud DEUM effice, ut plùs luem animi, quàm corporis horream; ut ità omnia in DEI oculis faciam, ut in morte, in æternitate semper sim cum DEO, & experiar illud: Nunquam non mecum eris. Hoc idem mihi Impetrate omnes, &c. *ùt supra pag.* 1.

XXI JANUARII.

Sancta AGNES 13. *annos nata, tam chara Christo fuit, ut eam annulo sibi subarrhârit, & Angelum addiderit, qui Cœlesti eam cyclade texit, nè à leonibus videretur. Hinc impolluto calli*

carnis

carnis spurcitias transivit, & gladio transfixa, lucidas Sponsi sedes accepit. Agnetem imitare, qui vis amari ab Agno DEI.

Tibi gratulor felicitatem Tuam, ô Beata AGNES! ora & pro me illum, cui jam juncta es in Cœlis, ut nè sinat me ire in tenebras exteriores; verùm etiam me in lucidas illas sedes accipiat. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXII. JANUARII.

Sanctus VINCENTIUS *Martyr in craticula, inter verbera & equuleum, inter prunas ardentes & ferreos ungues, inter candentes laminas, & testacea fragmenta pro Christo conflixit, Angelo confortante. Sacrum ejus cadaver abjectum, contra aves & lupum defendit corvus. Quem DEUS defensum cupit, quis lædat?*

Sancte VINCENTI, Divi Laurentii æmule patriâ, doloribus gloriâ: solare me in supremo lectulo ad mortem jacentem: ut æternis prunis stratum lectum evadam, Tecumq; in beata æternitatis quiete quiescam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

XXIII. JANUARII.

Gloriosa Beatæ Virginis MARIÆ cum Sancto JOSEPHO Desponsatio, divini consilii pandit Sacramentum; in qua & Virginis Genitricis prospicitur famæ, & JOSEPHI virtuti grandis fit accessio dignitatis. Vis compendiosum utriusq; encomium? Evangelista dat: Virum MARIÆ, de qua natus est JESUS. Disce ab utroq; Virginitatem.

O! San-

O! Sancti duo Conjuges! veſtra & Filii veſtri JESU nomina cordi meo indelebiliter inſcribite, & me in perpetuum Filium adoptate, ut patrocinio veſtro in gratia finali diſcedam è vita, cum filiis DEI æternùm manſurus in Cœlis, cujus filium educâſtis in terris. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt ſupra pag.* 1.

XXIV. JANUARII.

Sanctus BABILAS *Martyr, vinculis ligari pro Chriſto vivus non horruit, & decollatus, vincula non dimiſit, ut ſemper Chriſto conjunctus eſſet. Dum vincimur pro Chriſto, nobis Chriſtum devincimus.*

Impetra mihi, Sancte Chriſti Martyr, ut voluntas mea ſic DEI voluntati ſit ſemper conjuncta, ut ſeu vivam, ſeu moriar, libenter patiar, quidquid vel pro Chriſto, vel à Chriſto patiendum occurrit. Et hæc ſit mea ad mortem præparatio, in morte ſolatium, in æternitate corona maxima & minima pro Chriſto & à Chriſto, libenter & cum gratiarum actione fuiſſe perpeſſum. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXV. JANUARII.

Sanctus PAULUS *è Saulo converſus, ex perſecutore factus eſt Apoſtolus, ex lupo agnus, ex vaſe iniquitatis, vas electionis, quod portaret Nomen JESU coram gentibus. Vis ità converti? dic verè cum eo: Domine quid me vis facere?*

Ora pro me Sancte PAULE, ut ante mortem ſic convertar, ut faciam, quod me vult fa-

cere DEUS & JESUM opere & verbo portem coram hominibus, ut me morientem per Angelos ſuos JESUS portet ad Regnum ſuum. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XXVI. JANUARII.

Sanctus POLICARPUS, *S. Joannis Diſcipulus, Marcionem hæreticum ſatanæ primogenitum dixit; igni addictus gratum DEO odorem dedit, cùm diceret, nolle ſe Chriſto maledicere, qui ſibi ſemper faceret bene. Qualem putas peccator das odorem?*

Sancte mi! ora, ut nullus ſatanæ miniſter, nemo improbus, nè ipſe quidem ſatanas, mihi ſeu viventi ſeu morienti nocere quidquam poſſit. Commenda me Magiſtro Tuo Joanni, ut ille ſpiritum hunc meum, cùm expiravero, deponat in eo, in quo ille quievit, ſinu DEI JESU. Hoc idem mihi, &c. pag. 1.

XXVII. JANUARII.

Sanctus JOANNES CHRISOSTOMUS, *velut Elias à Jezabele, plurima paſſus ab Eudoxia. Ei SS. Petrus, & Joannes, ſcripturas aperuerant: ſcribenti Paulus adfuit, ſacrificanti Spiritus Sanctus. Morituro B. Baſiliſcus M. ad cujus corpus orabat, dixit: Joannes frater, craſtinus dies nos loco conjuget: & ſacrô Viaticô munitus, eſt conjunctus. Beatus, qui non abiit in conſilio impiorum.*

O! Sancte JOANNES, aperi os Tuum aureum pro me apud DEUM, ut ego in vita,

Sancto-

Sanctorum muniar præsidio, & in morte eorum solatio confirmer: ut sinè Viatico non discedam, & mortis meæ dies nos loco conjungat æternùm. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVIII. JANUARII.

Sanctus CAROLUS *Magnus, Occidentis Imperator, Fidei & Ecclesiæ defensor acerrimus, Osor vitiorum, pauperum Pater universalis, Cœnobia viginti quatuor, Metropolitanas duas, Episcopales novem, Templa viginti septem erexit. Demum traditô filio suo Ludovico regnô totum se orationi, eleemosynarum largitioni, mortificationisq; studio tradidit; Annô ætatis* 72. *magnam animam in Manus Patris commendavit. Moriar, morte justi hujus!*

Deus, qui superabundanti fœcunditate bonitatis Tuæ Beatum CAROLUM Magnum Imperatorem, deposito carnis velamine beatæ immortalitatis trabeâ sublimâsti: concede nobis supplicibus Tuis, ut quem ad propagationem veræ fidei Imperii honore exaltâsti in terris, pium intercessorem habere mereamur in Cœlis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

Itèm.

Sanctus JACOBUS *dictus Pœnitens, quadraginta jam annîs in eremo & abstinentiâ, & miraculis admirandus, in horrendum carnis & homicidii scelus prolapsus. Sed pœnitens toto decennio inter ossa mortuorum se vivus sepeliit: quot hebdomadis non nisi bis radicibus refectus, donec*

sepulchro

sepulchro suo immoreretur. Qui stat, videat ne cadat. Quod si ceciderit, citò surgat.

Sancte JACOBE, precibus Tuis mihi impetra, ut timore & amore suo carnes meas configat DEUS, ut cum tremore semper operer salutem, & quæram æternitatem meam: ut aut nullius peccati reum, aut certè pœnitentem me vita mea morti meæ & mors mea æternitati meæ sistat. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXIX. JANUARII.

Sanctus FRANCISCUS SALESIUS, *à teneris futuræ sanctitati prælusit morum innocentiâ & gravitate. In sacro Æde Lauretana perpetuæ virginitatis votum, aliàs Parisiis emissum, innovavit, à cujus virtutis proposito nec dæmonum fraudibus, nec sensuum illecebris dimoveri potuit. Securissimum est virginitatis depositum apud Deiparam.*

Sancte FRANCISCE doce me induere constantem morum innocentiam & gravitatem, & impetra mihi filiale cor erga Virginem Matrem, quo sub illius præsidium confugiam in periculis lædendæ puritatis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

Itèm. Sanctus CONSTANTINUS *Episcopus Mart: per aquam ferventis balnei, & ignem victor transivit, & ab Angelis est curatus: post mortem obitam, cadaver divino monitu quæsitum, Angelorum choris circumseptum est repertum. Bene cæptis constanter insiste, qui Angelis vis charus esse.*

Adesto

Adesto & mihi unà cum Angelis Tuis, ut per mundi hujus tribulationes, velut per ignem & aquam victor vivens & moriens illuc abeam, ubi unà Tecum & cum Angelis æternùm cantem: Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXX. JANUARII.

Sancta MARTINA *Virgo & Martyr, effusâ in egenos opulentâ hæreditate Cœlum tenuit: unde & terrenis blandimentis superior fuit, & è Cœlo impetravit, quod voluit. Dum demum & vitam, quam unam reliquam habebat, dedit, voce Cœlesti est invitata ad Cœlum, Vis ad Cœlum invitari? dimitte terram.*

Ora pro me Sancta Virgo, ut si non re, animo saltèm, sic omnia terrena dimittam, ut invitari etiam merear ad Cœlum: & tremenda illâ mortis hora sit mihi æternæ beatitudinis principium. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXXI. JANUARII.

Sancta MARCELLA *Romana nobilissima & ditissima est pro Christo pauperrima effecta: unde Cœlestibus solatiis tam repleta fuit, ut fustibus & flagellis cæsa gratias ageret. Adsunt Cœlestia, ubi absunt terrena solatia.*

O! Sancta MARCELLA, Viduarum exemplar, ora pro me, ut tempestivè relinquam, quidquid mihi morienti molestum esse potest: omnia, ac singula ità agam, quasi in ipso opere sim moriturus. Hoc idem mihi, &c.

FEBRU-

FEBRUARIUS.

I. FEBRUARII.

SAnctus IGNATIUS *Antiochiæ Episcopus pro Christo vinctus, & ad bestias damnatus ajebat: Nunc incipio Christi esse Discipulus: ignis, crux, bestiæ, tota tormenta diaboli in me veniant, tantùm ut Christo fruar. In ejus Corde post mortem repertum est Nomen JESUS: hinc ajebat, non posse se aliud loqui, quàm JESUM. Ex abundantia cordis os loquitur.*

Sancte IGNATI, inscribe & mihi Nomen JESU, ut constanter assuescam inter prospera & adversa, elevato ad JESUM & MARIAM corde; ignita in Cœlum amoris jacula evibrare, & sic vel nunc incipiam esse Christi discipulus: ut & vitâ meâ, & morte mea JESUM & MARIAM laudem, amemq; æternùm. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag. 1.*

II. FEBRUARII.

Postquam impleti essent purgationis dies, ingressa MARIA Templum, JESUM per manus Simeonis Patri Æterno obtulit: & gladium doloris per Simeonis vaticinium recepit, DEO charus non est, quem non affligit.

O! Purissima Domina mea, dulcissimum amarissimi agonis solatium! da morienti mihi JESUM, & sic me servum Tuum cum Simeone in æterna pace dimitte. Non recuso longum illum purificationis meæ diem in purgatorio:

torio: mallem tamen DEI amore, quàm pro pœna culparum, illum pati. Nunc igitur illumina me, accende me, & purifica me. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut supra pag.* 1.

III. FEBRUARII.

Sanctus BLASIUS *Episcopus, nec minis, nec blanditiis adduci potuit, ut Diis sacrificaret: tandem virgis cæsus, & in equuleo ferreis pectinibus laniatus, caput pro Christo dedit, ut ab Angelis coronaretur. Non coronabitur, nisi qui legitimè certaverit.*

Sancte BLASI, ora pro me, ut ità in hac vita inter diaboli tentationes certem, ut felix hinc ad coronam, non ad pœnam egrediar: & intrem in gaudium Domini Tui ac mei. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut supra pag.* 1.

IV. FEBRUARII.

Sanctus THEOPHILUS *Confessor, ut officio restitueretur, DEO Deiq; Matre ejuratis, dæmoni se se subscripsit. Sentiens fœditatem criminis, quadraginta dies noctesq; MARIÆ supplex, recipitur in gratiam, & triduò post felix in Templo animam exspirans, per MARIAM in Cœlum intromittitur. Vis Cœlum intrare? ad MARIAM pulsa, MARIA Cœli Ianua est.*

Sancte THEOPHILE, pulsa pro me Cœli Ianuam, MARIAM, ut dum vivo, constanter MARIÆ & ejus Filii mancipium permaneam, & moriturus eam habeam propitiam, ac per ipsam in gaudium Domini introducar. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

V.

V. FEBRUARII.

Sancta AGATHA *Virgo eligens humil & servilem Christianorum vitam præ Regum o bus & superbia, & malens Virgo mori, qu nupta vivere; colaphos, candentes laminas in quuleo, acutas testas, vivos carbones, & ma millam abscindi sustinuit. Tandem inter pre ad Cœlum migravit. An non, qui se humiliant exaltantur?*

Sancta Virgo & Martyr AGATHA, T precibus mihi impetra, ut dum vivo, elig cum Christo humiliari, quàm cum mundo r gnare, & ità merear exaltari in Cœlis, ubi T cum & cum Christo æternum regnem & tr umphem.

Sancti JOANNES, JACOBUS, PAULUS *verè JESU Socii, pro quo c aliis pluribus Nangasachi in Japonia crucifixi su & lanceis confossi. Qui Christi esse cupiunt: cr cifigi nè timeant.*

Orate pro me Sancti Martyres, ut vivus moriens Christo confixus sim cruci, obedie illi usq; ad mortem, laudans illum etiam p mortem, in beata illa regione viventium, beata crucis amicorum ac discipulorum ætern tate. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.*

VI. FEBRUARII.

Sancta DOROTHEA *Virgo & Martyr p tormenta ad gladium itura risit, quia ad Spo hortos se abire agebat. Risit hæc Theophilus sch lasticus,*

Jaſticus, *& è Sponſi illius horto recentes in Februario roſas, flores & poma petiit: miſit Illa mox per Cœleſtem Ephebum & in Sponſi odorem, Theophilum traxit. Tam dulce Cœlum eſt, ut qui illud cogitat, tormenta rideat.*

Sancta Virgo, ora ut per ſpinas & moleſtias vitæ hujus penetrem ad æterna Illa Viridaria Sponſi Tui, ubi ſim æternùm Theophilus, hoc eſt DEI amans in Paradiſo DEI mei. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt ſupra pag.* 1.

VII. FEBRUARII.

Sanctus THEODORUS *Martyr, Lares quos Licinius Imperator ei adorandos, obtulit, confregit, & pauperum prædam fecit: ideò in crucem actus, puerorum ſagittis eſt ſcopus factus: ſed ſolutus ab Angelo, gladiô cecidit. Priùſquàm in pugnam deſcenderet, audiit è Cœlo:* Macte Theodore, ego Tibi adero. *Eſto cum DEO, ut DEUS Tecum ſit, & ſecurus eris.*

Adeſto mihi morienti unà cum Angelo Tuo, Sancte THEODORE, ut igneæ dæmonum ſagittæ mihi non noceant: & pro me ora, ut in ſupremo mortis agone ſemiaminem me animet JESUS, & MARIA; ut vincam, & vobiſcum ſim in beata æternitate. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt ſupra pag.* 1.

VIII. FEBRUARII.

Sancta MARINA *Virgo, cum Patre aſceterium ingreſſa, Marinus audiit. Accuſata tamen à puella ſtupri illati, tacuit; ſeptis religioſis*

ejecta, & quintò pòst annô recepta, calumniam tulit usq; dum mors detersit, quæ Marinam detexit. Innocentia premitur, non opprimitur.

O! Sancta Virgo, impetra mihi, ut non timeam ab humano, timeam autem à divino judicari die; & possideam in patientia innocentem animam meam, & innocens comparear pro Tribunali DEI: qui judicabit & illum, qui patitur; & illum, qui infert, injuriam. Ille innocentem dicat, & habeo satìs. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

IX. FEBRUARII.

Sancta APOLLONIA *Virgo sub Decio ut Christum teneret, passa est sibi malis confractis dentes evellit. In rogum insuper, quem minabatur lictor, nî Christum ejuraret, sanctius intùs igne inflammata, seipsam injecit, & in Cœlum evolavit. Bene perdis corpus, ut non perdas animam.*

Ora pro me Sancta Virgo, ut bene penetrem præstare, ut hic patiatur corpus momento unum dolorem parvulum, quàm post mortem cum anima dolores maximos, & æternos. Ora, ut hic bene patiar, & bene moriar: ut ibi vivam æternùm, ubi nihil molestum patietur corpus vel anima. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

X. FEBRUARII.

Sancta AUSTREBERTA *Virgo, ut Christi Sponsa fieret, nuptias fugâ elusit; aquas, nè fugam sisterent, casto & sicco pede transivit.*

cœnobio

cœnobio Pauliacensi Virginum Mater, animam agens, quos aliæ Cœlites invocabant, obvios vidit. Dum vivis, Cœlites cole, & vocatos obvias habebis, dum morieris.

Te ô! Sancta Virgo, nunc cum illis invoco: adsis mihi in illo puncto, in quo vertitur omnis cardo spei meæ. Adsint Tecum ii, qui Tibi morienti adfuerunt Cœlites, & Cœlitûm omnium Rex JESUS, & Regina MARIA! quos ego unà Tecum nunc amare semper cupio, ut cum illis merear DEUM æternùm videre. Hoc idem mihi, &c. *ùt supra pag.* 1.

XI. FEBRUARII.

Sancta VICTORIA *Virgo bis triumphavit; semel, cum mortali sponso in amplexus ruente, è summo tecto præceps, abiens in Templum, seque DEO devovens, Hymenæum vicit. Iterum cùm pro Christo mortem obiens, vicit Diocletianum & Maximianum Imperatores. Sic triumphans in terris, quidni triumphet & in Cœlis?*

Tuis me precibus fulci, ô! Sancta VICTORIA! ut pro anima mea & Christi honore pugnans semper vincam, maximè quando in ultimum agonem descendam, ut victor abeam ad æternos triumphos. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XII. FEBRUARII.

Sanctus ANTONIUS *Episcopus primas literas à Spiritu Sancto didicit, cui pro minervali seipsum dedit, cùm DEI cultui se totum inter Monachos dedit: in quam virtutis scholam è*

mundo & Patrem pellexit, qui grandævus à l
lio vitæ sanctioris rationem didicit. Nemini
Magister deerit, nisi qui sibi ipse defuerit.

Sancte ANTONI ora Magistrum Tu
pro me, ut illa quæ nescio, ità me scire, &
lis quæ scio, me sic uti, ità vivere ac mori
ceat, prout verum Spiritûs Sancti discipul
decet. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIII. FEBRUARII.

Beatus JORDANUS *è Divi Dominici Fa*
lia, sic B. Virgini Familiaris erat, ut non se
ipsa sceleratos ad istum mitteret persanand
quam ipse vidit in ara, prehensa Filioli manu
illa verba (Gloria Patri, &c.) *omnibus bene*
cere. Vis à Virgine benedici? non cessa de i
& Filio dicere bene.

Beate JORDANE ora pro me Virginem i
ter Mulieres benedictam, ut mihi viventi
morienti, seu repentè seu aliter moriar, eti
ipsa cum prole pia benedicat. Hoc idem
hi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIV. FEBRUARII.

Sanctus AUXENTIUS *Abbas, in Conc*
Chalcedonensi verbis & miraculis Divinita
Christi, & Christiparæ Virginitatem propug
vit. Tantæ fuit patientiæ, ut scaturientes è
do corpore vermes, si exciderent, ceu gem
reponeret. Cælo non est aptus, quem pati
non aptat.

Doce me Sancte AUXENTI, ut preti

faciam

faciam dolores, qui mihi per vitam omnem obvenient: ut ità habeat coram DEO pretium omnis actio mea, vita mea, mors mea. Sciam, obſecro, pati, ſciam mori. Hoc idem mihi impetra Sancte VALENTINE Epiſcope pro Chriſto Capite plexe, nunc epilepſiæ Thaumaturge; & vos omnes, &c. *pag.* 1.

XV. FEBRUARII.

Sanctum FAUSTINUM *Sacerdotem & Iovitam Diaconum, fratres, acerbiſſimis tormentis per totam Italiam, igne, beſtiis, mari glorioſos, Brixia, quæ eos genuit, gladiô coronavit. In carcere dum aliis S. Euchariſtiam miniſtrarent, ipſis Angeli miniſtrârunt. Ad aram Angeli ſerviunt, & hominem pudeat?*

O! ter Sancti Fratres pro me orate, ut ego Vos, ac Angelos habeam & adjutores, & administros: ut ex hoc carcere non exeam, niſi SS. Viatico munitus, & ad eam, quam Chriſti & Veſtro Sanguine emiſtis, tranſeam immortalitatem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XVI. FEBRUARII.

Sancta JULIANA *Virgo, quòd Eleuſium Gentilem nollet habere ſponſum, experta eſt judicem & carnificem. Dæmonem ſpecie Angeli boni, mala ſuadentem, vinculis ipſa ſuis ligavit, & flagellavit. Ad flammas damnata, eas lachrimis extinxit, & lebetem ferventis aquæ precibus diſrupit: caput deniq; pro Chriſto dedit. Suggeſtiones non admitte, & mortem ſuperâſti.*

Sancta Virgo ora pro me, nè arte ulla u[n]quam fallat Angelus tenebrarum, præcipuè i[n] morte cum æternitate luctantem. Tu illum [l]iga, ut plus Tua pro me oratio efficiat, qu[àm] quidquid aliud contra me. Hoc idem mi[hi] impetrate omnes Sancti, &c. *ùt supra pag.*

XVII. FEBRUARII.

Sanctus SABINUS *Episcopus, præ senio c[æ]cus, hominum tamen cogitationes & corda vid[it]. Cæcitatem tam patienter tulit, ut post mort[em] mereretur æternùm videre DEUM. In patien[tia] nimirum animas possidemus & DEUM.*

Ora pro oculis cordis mei, Sancte SABIN[E] ut sint simplices. Ora, ut ea, quæ corpori m[o]lesta sunt, libenter feram, quia à DEO sun[t] ora ut ità moriens oculos claudam, ut iis [vi]deam æternum DEUM Salvatorem meum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XVIII. FEBRUARII.

Sancte SIMEON, *Jacobi Jerosolymis Su[c]cessor, Christi se propinquum verè probavit, c[ùm] centum viginti annorum senex, mortem cru[cis] constanter obivit. Propinquum Christi crux prob[at].*

Ora pro me Sancte SIMEON JESU[M] crucifixum, ut mors illius, morti meæ æte[r]no sit solatio; ut ità Crucifixi amans hic viva[m] & moriar in tempore, ut vicissim ille me am[et] in æternitate. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIX. FEBRUARII.

Sanctus CONRADUS *Placentinus puritat[i]*

ut

nut servaret, in vepres se abjecit: ut juvenem scele-ratum, hastâ è Cœlo configendum salvaret, preces suas objecit. DEO *animam flexis genibus reddidit. Devotè moritur, qui vixit devotè.*

Sancte CONRADE, pro me animam agente etiam preces Tuas clypeum oppone, nè præ-valeat inimicus; & ora pro me, ut, dum vivo, DEUM sic devotè orem, ut sequatur devota mors; mortem verò, vita immortalis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt suprà pag.* 1.

XX. FEBRUARII.

Sanctus EUCHERIUS *Infulam Aurelia-nensem, quam nondum nato Angelus promisit, à Carolo Martello Rege accepit quidem; sed ab eodem eâ spoliatus, post jussus est Coloniâ exula-re; ab exilio migravit in Patriam Sanctorum, Sed vidit priùs Carolum Cœlo exulare in inferno, quòd Sacris Manus injecisset. Quàm dispar utri-usquè vita, tam fuit dispar mors.*

Sancte EUCHERI, gratulor Tibi, beatam illam æternitatem Te possidere, quâ Carolus excidit; & infelicem illam Te non timere, in quam Carolus incidit. Verùm inter utramq; ego sum medius & dubius: illam spero, hanc timeo. Ora pro me, ut ità moriar, ut illam habeam, quam spero; non illam, quam timeo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXI. FEBRUARII.

Sanctus MAURITIUS *Thebeæ Legionis Ductor, cum militibus suis uncos primùm, equu-*

leum, flagra, flammas & tela pro Christo perpessus, dein Photinum filium prope paludem ad palum alligatum, vespis, muscis, & sagittis confodi coràm vidit. Deniq; cum sociis ipse melli oblitus, à vespis ad mortem confossus est. Hoc deniq; est militem esse fortem, si & pro Christo scias mori.

Adesto cum Filio & copiis Tuis mihi morienti, & ora pro me Sancte MAURITI, ut certanti mihi adsit Imperator noster JESUS, & in ultima pugna victorem faciat, & inter victores suos censeat in æternitate. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut supra pag.* 1.

XXII. FEBRUARII.

Beatus PETRUS DAMIANI *Iuvenis à fratre natu maximo porcis pascendis adhibitus; dein ab altero fratre literis admotus sic profecit, ut eas doceret. Sed memor injuriarum mundi, eum aversatus, inter Anachoretas se abdidit. Cur non ludis mundum toties Tibi illudentem?*

Beate PETRE, juva me precibus Tuis, ut mundum toto corde aversari possim, quo mundus ex hoc mundo evolem ad eum, cujus Regnum non est de hoc mundo, & Tecum illum æternum laudem. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XXIII. FEBRUARII.

Beatus NICOLAUS *à Christo coram audiens:* NICOLAE sequere me; *promptè est secutus: fuit Christi & B. Virginis ità amans, ut aliquando undecies millies* Pater, & Ave, *recitaret. Si amas, non pigeat diu orare.*

Ora pro me Beate NICOLAE, ut in omnibus DEUM me vocantem promptè sequar, & ità *Pater* ad Patrem DEUM, & *Ave* ad DEI Matrem orem, ut & Patris illius & Matris bonus filius, vivam & moriar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *ut supra pag.* 1.

XXIV. FEBRUARII.

Sanctus MATHIAS *Apostolus in locum reprobi Judæ electus est, quando sors illa felix supra eum cecidit. In Æthiopia dum Christum prædicavit, pro Christo lapidibus & securi percussus sortem æternæ hæreditatis adiit. Tali sorte quidni digna sit vita & mors talis?*

O! Sancte Apostole, sim & ego tam fidelis DEO meo usquè ad vitæ finem, nè cadat super me sors reproborum, sed proborum, ut felici morte hinc in sortem Sanctorum veniam, quæ est Filiorum DEI. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXV. FEBRUARII.

Sanctus TARASIUS *primo Consul, dein Princeps: tum Archipræsul Constantinopoli: in his tamen honoribus, pauperum nunqam oblitus, quibus præter vestes, quotidie vel cibos è sua mensa mittebat, vel sua manu ministrabat. Et plebejum pudeat talia facere?*

Sancte TARASI! charum Tibi fuit pauperum nomen; ecce me pauperem, & maximè in hora mortis egentem! ora ergo, ut in illo æternitatis adeundæ articulo pauperculam

hanc animam meam in domum gloriæ inducat DEUS. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVI. FEBRUARII.

Sanctus PORPHYRIUS *Jerosolimis in monte Calvariæ Christum Crucifixum cùm coràm vidisset, oravit:* Domine memento mei, dum veneris in Regnum Tuum. *Et Christi jussu Latro bonus osculum ei tulit; Christus verò crucem suam ferendam cum amplexu commendavit. Crux Christi pignus est amoris.*

Memento Sancte PORPHYRI, quæso, etiam mei apud crucifixum JESUM: jam enim venisti Tu in Regnum, Tibi à DEO præparatum à constitutione mundi, ut audiam à Christo in agone meo: Hodie mecum eris in Paradiso. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVII. FEBRUARII.

Sancta ATHANASIA *Andronici conjux, cùm binos filios mortuos in S. Juliani Templo fleret, ab eo docta est, iis Cœlum non invidere. Sic admonitas ut eodem conniteretur, omnibus opibus in pauperes abjectis, cum marito in diversa Cœnobia abiit. Relinque, quæ habes, Propter DEUM, & Cœlum habes.*

Sancta ATHANASIA ora pro me, ut rebus hujus sæculi non affigam cor meum: sed ità per hæc temporalia transeam, ut non amittam æterna. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVIII. FEBRUARII.

Sancti LUPICINUS & ROMANUS *Germani,*

mani, ambo virginitatem à teneris coluêre: ambo à Parentibus ad nuptias urgebantur: sed iis mortuis ambo ad eremum concessêre, ubi superatis dæmonum fraudibus, multos ad Christi castra deduxerunt. A teneris assuescere, tutissimum.

Sancti LUPICINE & ROMANE orate pro me, ut nunc ità assuescam vivere DEO, ut in morte impugnantem me, dæmonem vincam, & ad Cœlestia castra securus migrem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

Si est Annus Bissextilis.

XXIX. FEBRUARII.

Sancta MARIA morientium tutela, S. Angele à DEO mihi assignate: Omnes Sancti, quibus in morte Christus, vel Beata Virgo, vel Sanctorum aliquis apparuit, & ad bene moriendum juvit: Omnes Sancti, qui eos, qui in horrendo mortis agone versantur, soletis singulariter adjuvare: assistite mihi in agone meo; & orate pro me, ut tunc mihi propitius appareat JESUS, qui veniet me judicare. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

MARTIUS.

I. MARTII.

SAnctus SIVIARDUS *Abbas moriturus, suos ad perseverantiam, & gratiæ æstimationem est hortatus, inquiens:* Videbit quivis,

quàm bene nobis voluerit DEUS. *Mortuî animâ S S. Petri & Pauli manibus visa est cœlo inferri. Dignus gratiâ non est, qui æstimare illam aut non novit, aut non vult.*

Sancte SIVIARDE ora pro me, ut æstimem semper gratiam DEI, quæ in me vacua non sit, sed plena usquè ad mortem, usquè ad beatam æternitatem: in qua verè videbit quivis, quàm bene nobis voluerit DEUS. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

II. MARTII.

Sanctus CEADDA *Episcopus, ut in judicio extremo non timeret, dum vixit, id semper timuit. Unde ad ventos, tonitrua, fulmina velut diei illius imagines flevit. Morienti Angeli adfuêre. Beatus homo, qui semper est pavidus.*

Sancte CEADDA impetra mihi, à judiciis divinis timeam in vita, ut merear à Te & Sanctis Angelis post mortem ad Patriam illam deduci, ubi nullus timebit unquam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

III. MARTII.

Sancta CUNEGUNDIS, *Imperatoris Henrici Virginis Conjunx Virgo, in virginitatis testimonium nudis pedibus & illæsis, candenti ferro inambulavit. Post Conjugis mortem, ut virginitatem porrò tueretur, mundo exivit, & Religiosa in Cœnobio vixit. Nusquam tutior virginitas, quàm inter Virgines.*

Sancta Imperatrix, inveniam ego per Tuas,

& S.

& S. Conjugis Tui preces gratiam, ut continentiam ſtatui meo congruam ſervem, ut aliquando Tecum in æternitate vivam, & DEUM meum laudem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

IV. MARTII.

Sanctus WENCESLAUS *Martyr, cùm triennio Boleſlaviæ miraculis clarus jacuiſſet; Boleſlai fratris juſſus, Pragam abſquè pompa intrà noctis ſpatium per binos fluvios mirabiliter tranſlatus eſt. Atq; quòd maximè Boleſlaus vitabat, ad carcerem Arci-Pragenſi ſubjectum, tam diu loco dimoveri non potuit, quoad & dies & virtus illius illuteſceret. Vincti omnes carcere divinitus ſoluti. Tandem B. Principis Corpus in ædem S. Viti, quam ipſe olim fundaverat, illatum. Nempe, ut ibi, ubi lectum ſibi ſtraverat, placidè quieſceret.*

Concede, quæſumus, plebi Tuæ omnipotens DEUS, ut quæ Beati WENCESLAI Martyris translatione lætatur in terris, ejuſdem æterna ſocietate fruatur in Cœlis.

Itèm. Sanctus CASIMIRUS *Poloniæ Regis Filius, ſic à teneris caſtitatem amavit, ut cilicio uteretur pro Purpura, & humo pro molli lectulo. Summâ hieme nudipes noctu Templa obivit. Mori virgo maluit juvenis, quàm non virgo vivere ſenex. Poſt centum & ferè quinquaginta annos Corpus Ejus incorruptum eſt repertum, unà cum Hymno Mariano,* quo Omni die MARIÆ *laudes dixit. Amas virgo eſſe? cave corpus tuum ames.*

Sancte

Sancte CASIMIRE, scio quæ MARIÆ honori & amori dixero, aut fecero, morientem me ad ipsam æternitatem secutura; adsis ergo mihi, dum vivo, ut corporis & animæ puritatem ità custodiam, ut *Omni die MARIÆ dicat mea laudes anima*; ut in supremo vitæ die ad sinum MARIÆ vadat devotissima. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

V. MARTII.

Sanctus CONON, *Conjugem à Parentibus obtrusam docuit, Christo nubere; à S. Michaële doctus, quomodo ad Baptismum & Sacram Eucharistiam adiret. Nec deerunt Angeli magistri, si non desint homines discipuli.*

Doce me Sancte CONON, ad Altare sanctum accedere, prout à Magistro Tuo didicisti, ut semper hoc Sacramento sic utar, ac si pro Viatico æternitatis illud moriens sumerem. Moriens verò eò sic muniar, ut habeam felix iter in itineribus æternitatis ad eum, quem in Sacramento sumo. Hoc idem mihi, &c.

VI. MARTII.

Beata COLETA *Virgo, à S. Joanne Apostolo per annullum Christo est desponsata: & ipse Christus ei Eucharistiam dedit: & Martyrum omnium dolores, sicut optârat, sensit. Moriens à Christo velut sponsa in Cælum est deducta. Vis amari à Christo? ama amore ejus, multa pati.*

Ora pro me Sancta Virgo, ut & ego amore JESU sic desiderem pati, ut in hora mortis

deducar

deducar in domum illam, in qua qui habitant, beati ſunt: ut unà cum illis in ſæcula ſæculorum eum laudem, qui paſſione ſua me redemit, JESUM Chriſtum. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

VII. MARTII.

Sanctus THOMAS *Doctor Angelicus fœminam impudicam ardenti titione fugavit: victor ante crucem orans ab Angelis baltheo eſt præcinctus. Et omni poſthæc carnis moleſtiâ caruit: in unam DEI gloriam ſemper intentus: unde poſt mortem ſtellato pectore glorioſus apparuit. Et quid ſit dignius DEO, quò collimes, ô homo!*

O! Angelice Doctor THOMA! impetra, quæſo, hanc ſtellam tam puræ intentionis cordi meo: ora pro corde meo, ut nè ſinat illud JESUS & MARIA ullo unquam crimine maculari; ſed ſit ad JESU crucifixi, & MARIÆ gloriam vita mea, mors mea, æternitas mea. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VIII. MARTII.

Sanctus JOANNES DEI *Fundator Ordinis de Hoſpitalitate, magnus charitate in proximum, liberalitate in pauperes, miſericordiâ in infirmos: nec minor patientiâ. Nobilis quiſpiam alapam ei vehementem impegit; tum JOANNES: equidem commerui, inquit, alteram mihi dato.*

Sancte JOANNES, en! pauperem me & infirmum in hoc mundi hoſpitali, adeſto mihi precibus Tuis, & doce me facilè ignoſcere offenden-

offendentibus me, ut securè in vita dicere possim ad Patrem: dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus. Et in morte audire merear à Christo. remittuntur tibi peccata tua.

Itèm. Sancte PHILÆMON *in theatro Christianum tam dextre egit, ut Christianus mox fieret. Quare pro Christo flagra & sagittas innoxiè tulit. Tandem sanguine suo meruit baptizari. Utinam vel Christiani personam suam sic agant!*

Ora pro me Sancte PHILÆMON, ut in rebus salutis meæ non nuger, sed seriò agam negotium æternitatis meæ. Obsecro, seriò & bene agam personam hominis verè Christiani, ut illa demum æternitate coroner, quæ non datur, nisì iis, qui DEI obsequiis seriò se impendunt. Hoc idem mihi, &c. *pag. 1.*

IX. MARTII.

Sancta FRANCISCA *Romana, ob vitæ innocentiam & austeritatem Angelo suo tutelari, Christo passo, & MARIÆ, tam fuit familiaris, ut hæc ei in sinum dederit JESUM; JESUS comedenti & decumbenti assederit; Angelus semper spectabilis fuerit. Non habet Cœlites familiares, qui renuit mortificari.*

Juva me, FRANCISCA felix, FRANCISCA Angelica, FRANCISCA JESU & MARIÆ amabilis, per mortificationem mereri, ut adsit mihi & comedenti, & decumbenti, & semper, & deniq; morienti, & in æternitate viventi

venti JESUS. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *ut supra pag. 1.*

X. MARTII.

Sancti QUADRAGINTA MARTYRES *Sebasteni, frigidissimo cœlo in lacu gelu rigente positi, ad DEUM orarunt, ut sicut 40. ingressi essent, sic, 40. coronarentur. Sed missas Cœlo coronas solum 39. dum miratur janitor, unus eorum in balnea propè littus statutæ desiliit; in cujus locum ipse ingressus, cum iis fractis cruribus quadragesimam meruit. Nescis? sola perseverantia coronatur.*

Impetrate mihi, Omnes Sancti MARTYRES, perseverantiam, nè unquam à DEO meo deficiam, sed ad finem usq; perseverans, salvus sim sinè fine. Hoc idem, &c. *pag. 1.*

XI MARTII.

Sancta PELAGIA *cum geminis filiabus Martyrium quæsitura Antiochiam abiens, nè pudorem perderent, è via in profluentem desilierunt, & illo haustæ sunt. Corpora simul decentissimè tecta undæ ad litus exposuerunt. Vitam amas æternam? mortem ergo nè timeas temporalem.*

Orate pro me, Sancta Mater & Sanctæ Filiæ, ut & ego pretiosam mortem quæram per vitam pretiosam, & tandem inveniam pretiosam æternitatem. Hoc idem mihi, &c. *pag. 1.*

XII. MARTII.

Sanctus GREGORIUS *Magnus Pontifex inter pauperes, quos cibavit, Christum & Ange-*

los

los meruit hospites habere. Grassante Romæ peste, B. V. Imaginem circumferens Angelum vidit cruentum gladium abstergere, & in vaginam recondere; & Angelos in aëre Reginæ Cœli gratulantes de morte victoriam audivit. Devotè MARIAM invoca, & audieris.

Sancte GREGORI ora pro me Reginam Cœli, ut eâ devotione in vita eam invocem, ut per illam ad Regnum ejus perveniam, ubi æternum cantem Alleluja. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIII. MARTII.

Sancta EUPHRASIA *Virgo, Crucifixum aliquando complexa, sic in ejus amorem exarsit, ut spretis Principis nuptiis se totam DEO in cœnobio devoverit: ubi mirâ abstinentiâ & patientiâ celebris, à sponso in Cœlum est evocata. Pugna fortiter, ut vincas, & coronabêre.*

O! patiar & ego libenter! ora pro me Sancta Virgo, ut patiar, & ora ut patiar libenter. Ora ut libenter moriar; sed in suavissimis amplexibus JESU & MARIÆ. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIV. MARTII.

Sanctus PETRUS *Abbas vidit B. V. piè laborantium sudores abstergere. E morbo factus monoculus gratias DEO egit, quòd hostium alterum amisisset. Utrum melius, cum uno oculo Cœlum, an cum duobus gehennam intrare? elige.*

Ora pro me Sancte PETRE, ut ità oculis

meis

meis utar, ut non pœniteat; & itâ pro DEI & DEIparæ gloria laborem & ſudem, ut in mortis ultimis ſudoribus MARIAM etiam habeam conſolatricem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XV. MARTII.

Sanctus LONGINUS *Centurio, Chriſti Latus aperuit, & liquorem effluentem oculis ſuis tum corporis tum mentis habuit ſalutarem. Nam miſſos à Pilato, qui caput ejus præſcinderent, hoſpitio excepit priùs, dein caput ſuum dedit ferro reſecandum. Hoc didicit, dum Chriſtum mori vidit.*

Sancte LONGINE ora pro me, ut quam viam ad Cor JESU lanceâ aperuiſti, eam ego ſuſpiriis meis, frequenter teram, dum vivo: ut moriens aliquando in illud cor ſpiritum meum exſpirem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XVI. MARTII.

Sanctus TORELLUS, *tertiò galli humeris repentè inſilientis cantu monitus, juventutis ſuæ turpitudines, 40. annis ſub dio, in jejuniis, catenis, vepribus, in aqua gelida, trium tantùm horarum quotidie ſomno, amarè flevit, & maculas eluit. Non puduit te peccare: & pœnitere pudeat?*

Sancte TORELLE juva me precibus Tuis, ut me DEUS gratiâ ſuâ ſic excitet & roboret, ut agam dignos pœnitentiæ fructus, & tecum Angelis, de peccatore pœnitentiam agente

gente gaudentibus, aſſociari æternùm poſſim. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XVII. MARTII.

Sancta GERTRUDIS *Virgo, per MARIAM cum lachrymis à JESU peccatorum veniam, mortem & æternitatem felicem petiit: & è MARIÆ ſinu Jeſulus data manu promiſit, dicens: eam à ſe & MARIA nunquam deſerendam. Vis exorare JESUM? ora per MARIAM.*

Ora pro me apud DEIparam, Sancta Virgo, ut apud Filium ſuum mihi nunc periclitanti, & in ſupremo agone jacenti opem impetret: ut à peccatis mundatus merear hic ab iis nunquam deſeri; & iis in æternitate ſancta aſſociari. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XVIII. MARTII.

Sanctus EDVARDUS *Angliæ Rex, clàm à Noverca, ut ſuo filio coronam pararet, occiſus, dum venabatur; & in caſa ruſtica primùm ſepultus, dein in paludem conjectus. Sed ubique ob liberalitatem hominibus DEO ſacris præſtitam, vel luce inſolita, vel igneâ columnâ DEUS cadaver prodidit. Diſce, quàm ſit in liberales DEUS liberalis.*

Sancte Rex, intercede pro me, ut ſive repentina, ùt Tu, ſive alia morte occumbam ſanctè; ut Regi Regum DEO æternum una Tecum homagium in ſanctæ æternitatis Regia præſtem. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XIX. MARTII.

Sanctus JOSEPH *MARIÆ Sponſus JESU Nutritius, plùs quàm duodecim annos dulciſſimè cum JESU & MARIA converſatus, arcana mirâ didicit. In eadem ſecum domo & menſa* DEUM*, Deiq; Matrem vidit & loquentes audivit, & deniq; inter JESUM & MARIAM conſolantes & miniſtrantes, ultimum agonem egit & ſpiritum exhalavit. Quis dulciorem ſibi mortem fingere velit, aut poſſit?*

Adeſto quæſo Sancte JOSEPH, mihi morienti, & impetra, ut me in agone jacentem, ſuſpirantem, & expirantem juvent, ultimum ſpiritum colligant, & in æternum ſuum contubernium recipiant JESUS & MARIA. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XX. MARTII.

Sanctus JOACHIMUS *MARIÆ* DEI *Matris Parens, & JESU Filij* DEI *Avus beatiſſimus, aſſem ſuum trifariàm diviſit, partem Templo ſacram, alteram egenis communem, ultimam ſibi & familiæ reliquam voluit. Teſtamentum hoc Cœlo probatum fuiſſe oſtendit filia, quam ſeni dedit. In Cœlum & pauperes, nemo fruſtra eſt liberalis.*

Sancte JOACHIME ideo per Te MARIA, & per MARIAM JESUS eſt mundo natus, ut & ego MARIÆ filius adoptivus, JESU ſervus, & frater, felici morte naſcar Cœlo. Ora & illum & illam pro me, ut non pereat in me nativitas,

tivitas, vita, ſanguis & mors JESU. Adeſto mihi morienti, & me totum ad JESUM & MARIAM Filiam Tuam deduc. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut ſuprà pag.* 1.

XXI. MARTII.

Sanctus BENEDICTUS *Abbas libidinis incendium in animo gliſcens ſanguine ſuo inter ſpinas nudus abjectus extinxit, ut nunquam redierit. Anima ejus, ſponſæ inſtar ornata, Cœlum ſubiit, clamante Cœlo: hæc via eſt, quâ dilectus Domini Benedictus aſcendit. Delectaris hac gloria? imitare vitam.*

O! dilecte Domini BENEDICTE, juva me precibus ac meritis Tuis, ut ego nunc ſim diligens & benedicens Dominum, ut etiam fiam in vita & poſt mortem dilectus & à Domino benedictus. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXII. MARTII.

Sancta CATHARINA *Sveca, S. Brigittæ Filia, Virgo & Conjunx, ut virginitatem in tuto locaret, ſe ſe humi locavit pannis viliſſimis tecta. Nil aggreſſa eſt (ejuſdemq; author fuit aliis) niſi Deiparæ priùs diceret: Ave! Placet Tibi rarus MARIÆ favor? placeat & devotio in MARIAM.*

Ora pro me unà cum Sancta Tua Matre, ut omnia, quæ aggredior, invocatâ MARIA incipiam, & eâ approbante perficiam: ut etiam MARIA me in ſupremo maximè lectulo decumbentem inviſat & juvet, quo æternùm vi-

vam

vam & DEUM videam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII. MARTII.

Sanctus OTHO *à studioso factus miles, sub Lothario Imperatore primùm pro Innocentio III. Papa, Equitis titulum retulit: dein pro Alexandro III. Papa, contra Fridericum Imperatorem millitans, ab hoc captus, carcerem & vincula tulit. Sed invocatus D. Bernardus dormientem manibus hostium educit. Post hæc sub* DEO, *contra se, stipendium meruit: nunquam meliùs, gloriosiùs nunquam.*

Sancte OTHO, adesto mihi cum Bernardo, ut quando mors ex carcere hoc me educet in libertatem videntium, non in carcerem cæcorum educar; & impetra, ut ubi vincula hæc mea disruperit DEUS, sacrificem illi hostiam laudis vobiscum in æternum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIV. MARTII.

Sanctus SIMON *parvulus Tridentinus, menses vixdum* 29. *natus, à Judæis forficibus concisus, acubus toto corpusculo punctus, distentus, variis modis excarnificatus, crucifixus, morientis Christi Martyr victima factus est. Quàm putas, placuit* DEO *hæc innocens victima?*

Sancte Puer, adsis mihi morienti, & si pro Christo non potero saltèm in Christo, ut sanctè moriar, impetra. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXV.

XXV. MARTII.

Hodie SS. Trinitatis Nomine ſalutante MARIAM Angelo, & Spiritu Sancto obumbrante in Virginis MARIÆ utero, eſt VERBUM CARO FACTUM. *Verè dies lætitiæ?*

Ave MARIA, gratiâ plena, Dominus Tecum, Ancilla Domini, Mater DEI, in qua hodie VERBUM CARO FACTUM. Eſto mihi MARIA, ô! gratiâ plena! ut Dominus ſit mecum, & ego cum Domino in æternum. O! benedicta Tu in mulieribus, ora, ut benedictus Fructus Ventris Tui ſit mihi viventi & morienti JESUS. Ità fiat, ô! Sancta MARIA Mater Dei, Mater viventium & morientium, & prædeſtinatorum. Sancte Gabriel, ſaluta mecum & pro me MARIAM, & doce me Illam ſalutare, ut oret pro me, oret nunc, dum vivo: nunc, dum oro: nunc, dum ſum in periculo damnationis æternæ, & tunc in hora, tunc in momento, tunc in ſudore, tunc in agone mortis meæ Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XXVI. MARTII.

Sanctus LUDGERUS *Epiſcopus parvulus etiamnum rogatus, quid toto die egiſſet, libros ſe vel ſcripſiſſe, vel legiſſe reſpondit. Et quo Doctore? Deô, agebat. Hinc ad mortem uſq; orationibus, ſacris lectionibus, concionibus fuit intentus. Tanti eſt, bono Doctore uti!*

Ora pro me Sancte LUDGERE, ut omnia, quæ tota die, totâ vitâ & morte agam, & patiar,

tiar, DEO Doctore agam & patiar, ut in æternitate ibi ſim ego diſcipulus, ubi eſt Magiſter meus DEUS. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *ùt ſupra pag.* 1.

XXVII. MARTII.

Sanctus RUPERTUS *Vangionum Epiſcopus, virgis per urbem cæſus, in Bojariam venit, quam totam Chriſto ſubegit: ipſa Paſchatis die poſt Sacrum morienti, Angeli candidati Alleluja accinuerunt. Si cum* DEO *es, Patriâ dulcius eſt exilium.*

Adeſto & mihi cum Angelis Tuis, Sancte RUPERTE, & mortem aliàs horrendam, Tuo Angelorumq; auxilio amabilem effice, ut uterq; DEO noſtro felix Alleluja æternùm cantemus. Hoc idem mihi impetrate, &c. *p.* 1.

XXVIII. MARTII.

Sanctus GUNTRAMUS *Rex, ut plura ſibi pro morte & judicio auxilia præpararet, in egenos ac Templa regias gazas profudit. Refudit dormienti theſaurum opulentiſſimum* DEUS, *quem ipſe effoſſum in pauperes & Templa denuo effudit, ut theſaurum haberet in Cœlo. Hominem vis habere debitorem, cur non & DEUM?*

Ora pro me Sancte Rex, ut quidquid mihi morienti vel ſolatio, vel auxilio fore cognovero, id faciam, & nunc ſeriò in ſingulis, quæ ago, mihi theſaurizem theſauros in aurea æternitate. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *ùt ſuprà pag.* 1.

XXIX. MARTII.

Sancta MECHTILDIS *in carnem suam tam austera; ut & carne, & lecto, & vino, quoad vixit, abstinuerit. Ægram solata est MARIA, & ei Eucharistiam Angeli porrexerunt. Qui vivunt in carne ùt Angeli, quidni habeant Ministros Angelos?*

O! Sancta Virgo, hæc mihi morienti solatia impetra, ut JESUM, MARIAM & Angelos unà Tecum habeam Protectores, ut sinè Eucharistia non discedam ex hac vita mortali. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

XXX. MARTII.

Sanctus REGULUS *Episcopus ad aram faciens, mortis S. Dionysii & Sociorum, nuncium per tres columbas accepit, quæ trium Martyrum nomina ore ferebant. Contra superstitionem animosè bellum gessit. Signô crucis pro clavi usus, carceres aperuit, & vinctos liberavit, & dæmonibus terribilis extitit. An non in cruce victoria?*

Sancte Episcope ora pro me, ut nec nunc, nec in agone meo videat in me quidquam mali dæmon toties à Te victus, ut deniquè meum etiam nomen, non infernales corvi, sed columbæ Cœlestes ferant, & legar inter electos. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ùt supra pag.* 1.

XXXI. MARTII.

Sanctus GVIDO *Bertholdum quendam in agone supremo ob conscientiæ stimulos valde luctantem, quòd ei peccatum, licèt per oblivionem omissum,*

omissum, severè objicerent dæmones, juvit; & ut sibi redderetur à DEO impetravit, ritèq; confessum expiavit. Quis pro agone tam difficili non patronos quærat?

Sancte GVIDO juva me, ubi me in difficili illo agone videris: ut in pace conscientiæ puræ, & in pace Christi requiescam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *ut supra pag.* 1.

APRILIS.

I. APRILIS.

SAnctus WALERICUS, *puer pastor & hortulanus, tam innocens, ut aves & vermiculos è manu sua pasceret. Spurciloquentiæ tantus osor, ut rigente bruma in ædibus morari nollet, ubi Sacerdos & loci Præfectus fœdo loquebantur. Abiit, at ille oculis captus, iste contabescens, pœnas dederunt. Non vis infici à spurciloquiis! procul esto.*

Sancte WALERICE ora pro me, ut quidquid loquor, cogito, facio, purissimos DEI omnia videntis & audientis oculos, aresq; non offendat. O! vivam & moriar in DEO, & propter DEUM. Hoc idem mihi, &c. *p.* 1.

II. APRILIS.

Sanctus FRANCISCUS *de* PAULA *Minorum Fundator, virtutibus quidem omnibus insignis erat, sed potissimùm charitate, teste Cæ-*

lo, ex quo ad ipsum globo igneo inscripta Charitas descendit. Eâ sic arsit, ut ipse ignes sublunares impunè tractaret, & alios sancto amore inflammaret. Hoc igne ardere, pulchrum, & amabile est.

Sancte FRANCISCE, experiar & ego ignes Tuos! certè si viveres, charitas Tua non pateretur, ut morienti mihi non adesses, si posses. Nunc potes: ô! juva, ut ignis DEUS, hoc est, Charitas, ità me accendat, ut in me extinguat, consumat & consummet omne, quo cum non licet mihi DEUM amare; & ut in charitate vivam, in illa moriar, æternumquè sim charus charissimo meo & Tuo DEO. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

III. APRILIS.

Sanctus RICHARDUS *ex paupere creatus Episcopus, cum honore mores, ùt solet, non mutavit. Vasis aureis & argenteis, in pauperum annonam expensis, agebat: præstare, morte parentis fictilibus cœnare, quàm Christum in pauperibus esurire. Moriturus à Sacerdotibus iterari sibi continuò voluit:* MARIA Mater gratiæ, &c. *demq; Crucifixi complexibus immortuus. Sic mori optas? sic vive.*

Sancte RICHARDE ora pro me JESUM Crucifixum & MARIAM piissimam ejus Matrem, ut ità Tuô exemplô instructus vivam, ut aliquando inter JESUM & MARIAM piè moriar, & Tecum illis æternùm associer in Cœlis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

IV. APRILIS.

Sanctus THEODULUS *Juvenis & AGA-THOPUS Senex, in carcere ab ipso Numine animati ad patiendum, ità pro Christo steterunt inter tormenta, ut Tyrannum in ruborem, in lassitudinem dederint tortores. Si velit te DEUS pati, an putas, prudenter renuis?*

O! Sancti Martyres! animate hoc miserum corpus meum, ut pro DEO libenter & ubiq; patiatur; ut post mortem felicem, pro momentaneo, quod passum est, æternitate gloriæ induatur. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

V. APRILIS.

Sanctus VINCENTIUS *è Divi Dominici Familia ab ipsomet Christo morbo levatus, & jussus ad pœnitentiam populos evocare. Cui labori sic vacavit, ut* 25000. *Judæorum, totidem Saracenorum Christo conciliârit: Christianorum verò* 120000. *reconciliârit, publicè infamium* 40000. *ad innocentiam reduxerit. Tot spoliis triumphantem, spoliare orcus castitate contendit, sed frustrà, sic ille cum MARIA, & MARIA cum illo pugnavit, ut vinceret Vincentius. Hoc est servum DEI gnavum esse & fidelem.*

Sancte VINCENTI accende & cor meum, ut DEI amore ardeat; & pro me ora, ut nulli sit scandalo vita mea, plurimis verò bono exemplo: ut mors, ubi me viventem ex hâc vita eximet, ità me det vitæ beatæ & æternæ. Hoc idem mihi imperrate, &c. *pag.* 1.

VI. APRILIS.

Sanctus GUILIELMUS, *ostensâ sibi ab Odone Abbate Crucifixi Imagine, ità amore ejus exarsit, ut relicto sæculo religionem petierit. Morientem ad coronam, priùs exhibitam, eduxit Christus. Qidni morientem ducat JESUS, quem viventem habuit sequacem?*

O! sciam inspirationibus parêre divinis! sciam præ mundo æstimare Cœlum! ora pro me Sancte GUILIELME, ut hoc unum me JESUS doceat, ut sciam, & velim, & faciam: ut vita mea sit expers sæculi, & mors mea sit origo beatæ æternitatis. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VII. APRILIS.

Sanctus HERMANUS *Joseph dictus, sic à septimo ætatis annô MARIAM coluit, ut eum ipsa in Templo ad Filiolo suo & Sancto Joanni colludendum invitâret. Ut inediam suam levaret, saxum ei MARIA monstravit, unde quoties egeret, nummos promeret; à MARIA sic amabatur, ut ei & sponsi sui nomen daret, & eum in sponsam acciperet. MARIÆ Nomen non nisì prostratus audiit: unde odoribus semper Cœlestibus est afflatus. Tanti est sincerè MARIAM amare!*

Utinam & ego JESUM & MARIAM seriò amarem! fortè mihi hactenus blanditus meipsum decepi, quasi MARIAM amem. O! curram jam seriò in odorem JESU & MARIÆ!

MARIÆ! Ora pro me Sancte JOSEPH, ut morienti mihi sint solatio duo illa Nomina, ut ubi in terra felici morte prostratum jacuerit pigrum hoc corpus meum, odor Cœlestis pascat animam in Cœlo. Hoc idem mihi, &c.

VIII. APRILIS.

Sanctus WICTERPUS *Episcopus post mortem D. Herlucæ Virgini apparens, Christum à Pilato ostensum exhibuit, & expavescenti dixit, sic eum laniari à tractantibus & sumentibus indignè Eucharistiam. Sancta sanctè tractari debent.*

Esto & mihi Comes Sancte WICTERPE, cùm aliàs, tum maximè, quando ultimò accipiam illud viaticum & pharmacum immortalitatis; ut JESUM in Cœlo mihi ostendens, dicas: *Ecce homo, ecce DEUS!* & corde sancto illum æternis amoribus amemus. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

IX. APRILIS.

Sancta MARIA *Ægyptiaca, à teneris Veneri dedita Hierosolymis in festo Exaltationis S. Crucis à Templo ter divina vi repulsa, ad DEIparam MARIAM conversa, additum impetravit: à qua jussa Jordanem transivit, & quidquid homines inter peccârat, inter feras lachrymis eluit. Confide, propitium habes Iudicem, si Iudicis Matrem, Patronam.*

O! magna pœnitens! impetra mihi à JESU per MARIAM, ut nunc seriò illa omnia amarè defleam, quæcunquè amariorem reddere mihi

possunt, amarum aliàs etiam agonem mortis meæ & non repellar, sed inducar in Templum æternum. Hoc idem mihi, &c. pag. 1.

X. APRILIS.

Sanctus MACARIUS *Patriarcha Antioch: Christi sepulchrum invisens, à Saracenis ad ossa usq; laceratus, pavimento tribus clavis affixus, ignitô supra pectus saxô impositô. Sed ab Angelo liberatus, in Flandria se cum socio gemino, lui pro urbe victimam obtulit. Nîl DEO charius, & nîl in orbe carius charitate.*

Eja Sancte MACARI age, ut ità me Angeli, ità Tu, ità MARIA, ità DEUS hìc peregrinum juvet, ut semper ab animi peste omni sim immunis: & sanus, ac æger, DEI semper sim victima, sìmq; etiam moriens vivum holocaustum DEO. Hoc idem mihi, &c.

XI. APRILIS.

Sanctus GUTHLACUS *è Nobili & milite Eremita; Insulam ab hominibus quidem desertam, sed dæmonibus infestam habitavit. Risit vanas dæmonum minas, & vicit: indè ab Angelo quotidie visitatus, & contra insidias armatus. Latrare diabolus potest, mordere non potest, nisì volentem.*

Sancte GUTHLACE, age, ut ità me per Angelum meum Custodem armet DEUS, ut Angelo meo semper, dæmoni nunquam vel in minimo (quidquid suggerat) obediam: & quotidie me diei æterno parem, & ibi cum Ange-

lis

lis bonis, ac Tecum ad majorem DEI gloriam æternùm triumphem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XII. APRILIS.

Sanctus ALFERUS *ad Regem Germanorum Legatus à via aberrans, ad Regem Regum in cænobium Cluniacense deflexit. Hanc ei sortem invidens dæmon, ex altissimo monte eum dejecit: sed incolumis dæmonem risit. O! Te felicem! qui ut ad DEUM venias, à mundo aberras.*

Impetra mihi Sancte ALFERE à DEO meo vires solidas, & DEI cordi affixum cor, ut hoc velim, quod DEUS vult, non verò quod dæmon, caro, & mundus, præcipitare me volentes: atq; ità me è lectulo mortis meæ ad cœnam vitæ æternæ invitet, & perducat Rex æternæ gloriæ. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIII. APRILIS.

Sanctus HERMENEGILDUS *Rex, jussus à Patre suo Leovigildo Ariano, Catholicis sacris spretis, se Arianum in Paschate profiteri; cùm nollet, in carcere vinctus primùm, dein ipsa Paschatis nocte securi percussus est. Disce, quousq; Parentibus sit obtemperandum.*

Regie Juvenis Sancte HERMENEGILDE, doce me ità humanos respectus, timores ac spes omnes pro DEO & æternitate despicere, sicut Tu Regis Patris jussa & minas despexisti; ut nullus dæmonum, nullus hominum, nulla creatura me à DEO meo possit abducere: sed in illo

illo ſperem, illum amem, illum timeam, qui amorem & timorem omnem verè meretur; in cujus manu & Cœlum eſt, & gehenna. & poſt quam corpus felici vel infelici morte occiderit (Tu mihi felicem impetra) ut Tecum ſim æternùm felix. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIV. APRILIS.

Sancta LYDVINA, *ut caſtitati forma non noceret, à DEO deformari petiit. Audit DEUS votum, & eam morbis ſic exercuit, ut nemini placeret, præterquam Chriſto. Sed* 38. *annos paſſa, cum Angelis migravit ad Cœlum. Placet DEO, quiſquis novit pati.*

Sancta Virgo, quæſo, illi felices Tui, erga JESUM & MARIAM amores & dolores, pro me inter dolores mortis de ſalute incerto ac trepido intercedant; ut JESU & MARIÆ ope felix abeam ad illam, quæ ſic amantibus præparata eſt, æternitatem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XV. APRILIS.

Sancta CASILDA *Virgo Regia, furtivè ex Regis Patris menſa captivis Chriſtianis cibos ferebat. Deprehenſa, ut Patris iram evaderet, dixit ſe roſas ferre, exhibere juſſa, & ipſa & parens cibos vidit in roſas converſos. Tam chari ſunt DEO, quibus captivi pauperes chari ſunt.*

Tuis precibus ô! Sancta Virgo, mihi miſericordem illum animum impetra, ut roſas hìc mihi colligam, eaſq; per pauperum manus præ

mittam

mittam in Cœlum, quibus me pauperum Pater JESUS coronet. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XVI. APRILIS.

Sanctus JOACHIMUS *Confessor, tanta in DEUM & proximum charitate flagrabat, ut epilepsiam ab epileptico in se transferri à DEO impetrâvit. Et ut plùs amore DEI pateretur, vermibus absumi petiit, nec negatum. Male non moritur, qui libenter opera charitatis exercet.*

Ora pro me Sancte JOACHIME, ut ea in omnes charitate sim, quam à me postulat DEUS meus, & opera charitatis libenter exerceam: ut sic me vivum animet charitas, sanctæ morti me paret charitas, & DEO Judici, qui charitas est, me sistat charitas. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVII. APRILIS.

Sanctus HELENUS *è mundo priùs, quàm pueritia exiit, tutiùs inter feras quàm homines victurus, jejunia diu producenti dæmon escas obtrusit: sed respuit, & dapes Angeli ministrârunt. Mundus & dæmon, etiam cùm benefacere videntur, cavendi.*

Attende & mihi, nè qua arte vel dæmon, vel homo à dæmone substitutus inescare me possit, & morti me æternæ addicere. Dæmonis esca est, quidquid peccatum est. O! jejunem ego ab his escis? ut post talia jejunia ad æternas epulas me Angeli Sancti à morte abducant. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1

XVIII. APRILIS.

Sanctus URSMARUS, *priusquam natus, matri ostensus per scalam in Cœlum eniti. Paratus quotidie animas suomet sanguine Cœlo lucrari: patientia admirabili ceu Jobus Cœlum conscendit. Nec facilior, nec planior est via in Cœlum, Patientiâ.*

O! patiar & ego libenter, ut patientia mihi scala sit, quâ moriens in Cœlum ascendam! ora pro me, ut ità in patientia vivam, quò mihi mors mea sit pretiosa in Cœlum scala, non præcipitium ad infernum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIX. APRILIS.

Sanctus WERNERUS *in agro Trevirensi natus,* 14. *annorum à Judæis crucifixus, triduò excruciatus, è cruce ad Paradisum abiit; corpus in speluncam abjectum, nè lateret, accensis multis facibus Cœlum parentavit. Cœlo displicere non potest, cui placet pro Christo pati.*

Roga pro me JESUM crucifixum, parvule crucifixe Martyr, ut ponat crucem & mortem suam, inter mortem meam & tribunal suum; & quod mihi deest, illud de Tuo & suo sanguine suppleat, ut felicem æternitatem consequar. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XX. APRILIS.

Sancta AGNES *Politiana è S. Dominici Familia, quindecim annos solo pane & aquâ vixit; à B. V. Jesulum, ab ipso crucem, quam portabat,*

bat, in sinum, tanquam amoris tesseram, accepit: ex Angeli manu sæpe Sac: Eucharistiâ refecta. Quid mirum? Angelico more vixit.

Exere, ô! Beata AGNES, vim calidissimarum precum Tuarum; & impetra mihi à MARIA, ut semper JESUM in corde habeam: ut sim totus JESU, & totus MARIÆ in tempore, & in æternitate. Hoc idem, *pag.* 1.

XXI APRILIS.

Sanctus ANSELMUS *Cantuariensis Episcopus, ostendente DEO, vidit mundum non esse, nisì cœnosam paludem, in qua homines suas delicias piscarentur. Indignum hoc ratus, ad religiosa septa, quæ sibi instar regiæ apparebant, transivit. Vis mundos esse? mundum fuge.*

Sancte ANSELME ora pro me, nè immundus mundus me abysso inferni demergat. Ora, quæso, nè in portu, hoc est, morte naufragium patiar felicis æternitatis, sed ad illud Regis DEI palatium in æternitate perveniam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXII. APRILIS.

Sanctus THEODORUS *à DEO puer adhuc sexennis ad suum obsequium tractus, sed mater, (noverca potiùs) obstitit. Non tulit DEUS: per S. Georgium stricto mucrone mortem minatur matri, si à piis exercitiis filium à vocaret. Ní iratum vis experiri DEUM, cave sancta aliorum consilia impedire.*

Exora mihi, Sancte THEODORE, hanc

à DEO

à DEO gratiam, ut nihil me à DEO & piis avocet. Pietas enim ad omnia quidem, sed ad mortem sanctè obeundam vel maximè utilis est. Quare obsecro, impetra mihi, ut piè & cum piis vivam, & piè moriar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII. APRILIS.

Sanctus ADALBERTUS *Episcopus & Martyr, nobilissimo genere natus in Bohemia, cùm graviter adhuc infans ægrotaret, B. Virginis ope, ejusdem aræ à parentibus admotus convaluit. In Prussia ab Idololatris inter sacrificandum septem lanceis confossus, & in partes dissectus est. Sacrum Corpus Ejus cùm postea Boleslaus Princeps Poloniæ à Prutenis redempturus, tantum auri argentive pondus appenderet, quantum cadaver ponderaret; nullo, quantumvis copiosissimo auri pondere à terra levari potuit, donec paupercula mulier, pia liberalitate ultimos duos nummos adjecisset. Tanti ponderis, & tam pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum.*

Ora pro me Sancte ADALBERTE Martyr, nè dum sub ultimum vitæ momentum in æquissima supremi Judicis statera fuero appensus, inveniar minùs habens; sed potiùs bonorum meorum operum paucitas, accedentibus meritis & intercessione Tua peccatorum gravitati præponderet.

Itèm. Sanctus GEORGIUS *Tribunus cùm Diocletiani tyrannidem palàm damnaret,*

vincula, ſaxum ingens ſupino pectore, horridam cultris machinam, ferreas crepidas igne candentes fortiter perpeſſus, ſe Chriſti militem probavit: & dato pro Chriſto capite coronatus eſt. Æternùm non patietur, qui patiatur pro Chriſto.

Fortiſſime Martyr GEORGI, ora pro pigro hoc, & ad dura pro æternitate ſuſtinenda delicato nimis corpore. Patiatur nunc, nè patiatur æternùm; currat, quò anima & DEUS vult, ut Cœlum, non infernum comprehendat, ac in morte à Chriſto coroneretur. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIV. APRILIS.

Sancta BONA *Virgo ſeptennis, ut pudorem ſervaret, ſuadente Chriſto ſtramine uſa pro lecto, cilicio pro veſte, tres quot hebdomadis dies ſolo pane & aquâ exegit, reliquis non niſi leguminibus vixit. Pudorem vix tuetur, qui carni blanditur.*

Impetra mihi, ô! BONA Virgo, ut carnem meam ſeverè habeam, nè calcitret, & à viâ Cœli me excutiat. Impetra mihi præterea, ut bonâ, & ſanctâ vitâ me parem ad bonam & ſanctam mortem. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XXV. APRILIS.

Sanctus MRRCUS *Evangeliſta, Alexandriæ ipſo Paſchatis die ad aram captus, nocte Angelo exhibente nomen ſuum in libro vitæ vidit: de quo cùm gauderet & gratias ageret, Chriſtus pacem eſt precatus ad quam altero die laqueô præfocatus*

focatus accessit. Hæc pax non nisì per adversa obtinetur.

Sancte MARCE, exora & mihi pacem illam à JESU, pacem vitæ, mortis, æternitatis; ut in albo Beatorum inscriptus, felici morte, in pace, in idipsum dormiam & requiescam æternùm. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVI. APRILIS.

Sanctus BASILEUS *Episcopus, dum Glaphyram V. protegit, nè prostituatur, suam vitam prodigit. Jussus aut fidem, aut caput ponere, hoc abjecit in Cœlo coronandum. O! si quisq; suum, ùt hìc alienum, tueretur pudorem.*

Sancte BASILEE, ora pro me, ut sic inter homines degam, ut & pudorem meum non prodigam, & alienum in periculum non adducam, ut ità felici morte defunctus in Cœlo merear coronari, & Tecum æternùm DEUM cum Sanctis laudare. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1

XXVII. APRILIS.

Sancta SITA *Virgo ancilla mirè in pauperes liberalis, ut Cœlum emeret. Placuit* DEO: *unde panis frustula in flores, aquam pauperi porrectam in vinum convertit. Redeunti sub noctem è Templo, B. Virgo & pontis & urbis portas aperuit. Quanta felicitas! da frustulum panis, & recipe Cœlum.*

O! amem & ego pauperes, quia illos amari vult DEUS! ora pro me, ut sub vitæ noctem mihi adsit precibus Tuis invitata MARIA ad

portas

pertas mortis, sitq; mihi ipsa cum JESU porta ad vitam æternam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

XXVIII. APRILIS.

Sanctus VITALIS *Miles & Martyr, SS. Gervasii & Protasii Pater, Ursicinum Medicum, ut martyrium fortiter subiret, animavit; & ipse pòst equuleo tortus terrâ & lapidibus obrutus, quod alterum monuit, præstitit. Is enim verò magnus est, qui quod alios docet, ipsus facit.*

Sancte VITALIS, Tuis apud DEUM meritis hoc mihi impetra, ut nec doctrina mea, nec vita aliis sit offendiculo; sed quod alios doceo, ipse faciam; nè aliis viam Cœli ostendens, ipse aberrem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXIX. APRILIS.

Sanctus PETRUS *Martyr, è S. Dominici Familia zelosissimus contra Hæreticos Prædicator, audire à B. Virgine meruit:* Ego rogavi pro Te Petre, ut non deficiat fides Tua. *Ab hæretico in odium fidei interfectus est. Quid obest, hanc ob causam odio haberi?*

Ora pro me MARIAM, Sancte PETRE, ut JESUM pro me roget nè vel in vita, vel morte mea, ullo modo deficiat, sed semper proficiat fides, spes, charitas mea, ut sic illius lateri post mortem æternus cliens adhæream. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXX. APRILIS.

Sancta CATHARINA *Senensis, septennis*

à B. Vir-

à B. Virgine Christo desponsata, ut Sponso similior esset, spineam, præ aurea coronam elegit & capiti impressit. Tu eligis rosis coronori & auro? cave.

Dilecta JESU Sponsa CATHARINA, impossibile est, ut impetrare non possis, quod voles à JESU Tuo & Tua MARIA. Impetra ergo mihi, ut in hac vita eligam cum Christo, & propter Christum affligi, ut aliquando in JESU Crucifixi & MARIÆ complexu puram animam in Cœlo coronandam exspirem, semper Tecum beatus futurus. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

MAJUS.

I. MAJI.

SAncti PHILIPPUS & JACOBUS, *quorum ille à Christo Patrem sibi ostendi ardenter desideravit, & impetravit, postquam sub annum 54. in Scythia pro Christo crucifixus, & lapidatus est. Hic carne, vino & sicera à teneris abstinens, tam multus in orando, ut ex flexione genua callum obduxerint, cùm Hierosolimæ Episcopus 30. annos fuisset, annô 63. è Templi fastigio dejectus, mortem pro Christo obiit: quantô putas gaudiô?*

O! sanctissimum par Apostolorum! orate pro me, ut in abstinentia, oratione, & patientia ità

secundùm

secundùm DEI voluntatem vivam, ut morienti mihi JESUS, Magister meus ostendat Patrem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

II. MAJI.

Sanctus SIGISMUNDUS *Patronus Regni Bohemiæ, Rex Burgundiæ omnibus virtutibus, sed maximè religione in DEUM, & veneratione in Sanctos, præcipuè Martyres Thebæos, illustris fuit; ad quorum tumulum crebro societatem petiit, & martyrii lauream impetravit, dum Clodomini Regis Francorum jussu post tolleratos carceres in puteum conjectus est; cujus reliquiæ ex Agaunensi Templo Pragam per Carolum IV. Cæsarem translatæ ad S. Vitum pia veneratione coluntur. Martyrum honore dignus est, qui Martyres honorat.*

DEUS, qui hunc diem Sancti SIGISMUNDI passione consecrâsti, præsta quæsumus, ut cujus solemnia celebramus in terris, ejus apud Te suffragiis adjuvemur in Cœlis.

Itèm. Sanctus ATHANASIUS *innocens calumniam passus à fæmina, vim sibi à S. Viro illatam, & ab Arrianis, ab eo occisum Arsenium mentientibus, exul totum penè orbem pererravit: in cisterna annos quinque latuit: redux Alexandriam quatuor menses in Patris sepulchro: mortuus in Cœlo vivit. Vis & tu animam tuam possidere in Cœlo? patere.*

Sancte Præsul, impetra mihi hoc ad bene moriendum certissimum præsidium, patienter

ferre,

ferre, quidquid in me machinatur mundus, ut post mortem experiar, quàm magna sit merces, quæ propter justitiam innocenter patientibus est promissa. Hoc idem, &c. pag. 1.

III. MAJI.

Debellato per Constantinum Maxentio, Helena dejectò Veneris fanô & ſtàtuâ, salutiferam Christi crucem cum geminis aliis è terra eruit. Quæ Christi esset, docuit moribunda, cui attactu sanitatem reddidit. Thesaurum quæris? vel Crucem Christi, vel missam à Christo crucem accipe.

Crucifixe JESU, da ut Tua Crux, sicut Tibi pro me morienti mortualis fuit lectulus, ità mihi morienti æterno sit solatio: & quia illam ideo, ut me invenires conscendisti: nè quæso me à facie Tua perire permittas, sed fac, ut sim inter Tuos æternùm. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

IV. MAJI.

Sancta MONICA, *Manichæâ hæresi mortuô filiô Augustinô tam copiosas lachrymas effudit, ut diceret S. Ambrosius: fieri non posse, ut tantarum lachrymarum filius periret. Si matris lachrimæ pro filio tantum valuerunt, quid tuæ pro te ipso?*

Ora pro me, unà cum Sancto Filio Tuo Sancta Mater, ut sim & ego filius non jam lachrymarum, sed orationum Tuarum: sìtq; impossibile, ut filius tantarum precum inteream. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

V. MAJI.

V. MAJI.

Hodie S. Monicæ lachrimæ fructum pepererunt: nam accedente tum lectione SS. Scripturarum, tum S. Ambrosii adhortatione, tum aliorum exemplo, puduit Augustinum non posse, quod potuissent isti & istæ: & factus ex Manichæo Catholicus, ex Rhetore Doctor Ecclesiæ, ex mundi amatore summus contemptor. Ecquid moras nectis in conversione?

Doce me legere cum fructu divinam Scripturam, & imitari Sanctorum exempla; ut sicut Tu per eam ex morte deductus fuisti ad vitam, ità ego ex morali vita deducar ad vitam æternam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VI. MAJI.

Sanctus JOANNES DAMASCENUS *cùm Leone Iconomacho manus ei ob defensas sacras Imagines abscissa esset, coram MARIÆ icone familiariùs questus, integram recepit: quam deinde in Virginis laudes scribendas impendit. Tu tuam quomodo impendis? pudeat!*

Porrige mihi, Sancte DAMASCENE, auxiliantem manum Tuam, & pone me precibus Tuis juxta MARIAM, & deinde cujusvis manus pugnet contra me viventem & morientem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VII. MAJI.

Sanctus STANISLAUS *Episcopus Cracoviensis, ut prædium à Viro nobili pro Ecclesia emptum contra adversarios defenderet, mortuum*

jam

jam venditorem ex tumulo ad judicem duxi. Cùmquè improbam vitæ licentiam in Rege sæ argueret, ab eodem in Templo occisus est. Sic scilicet mundus remunerat.

Corrige me, dum malè ago: & adesto mihi moribundo Tua ope, non ut me ad vitam hanc revoces, sed ut ad æternam voces; sìsq; ad propitium JESU Tribunal, indè usq; ad Cœlum comes. Hoc idem mihi, &c. pag. 1.

VIII. MAJI.

Sanctus MICHAEL *Archangelus in monte Gargano hodie ad speluncam quandam, quò cujuspiam taurus fugerat, nec indè revocari poterat, apparuit, ibiq; DEUM in se, & cæteris Angelis coli velle, docuit: unde ibi Templum ejus cultui est ædificatum. Tu animam tuam et in Templum extrue.*

Sancte MICHAEL Præposite Paradisi, cujus oratio perducit ad Regna Cœlorum. Pro me indesinenter ora, ut in anima mea semper vigeat cultus Tuus, mei Custodis, & omnium Angelorum; ut in morte vestro gaudeam auxilio, & post mortem vobiscum DEUM laudem in æternum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

IX. MAJI.

Sanctus GREGORIUS *Nazianzenus Athenas petens gravi tempestate jactatus, vovit, si maris undas evaderet, se Baptismatis undis mersurum, & vitam inter Religiosos acturum. Reus*

voti

voti factus, utrumq; explevit, & Cœlum petiit. Nimirum sinè adversis Cœlum non aditur.

Ora pro me, ut & ego ità hinc omnia agam, ità omnia patiar, ut JESUM æternùm videam. Dicam ego moriens id quod Tu, cùm patereris, dicebas: *Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam Tu mecum es.* Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

X. MAJI.

Sancta GLYCERIA *Virgo, cùm Lampadophoria celebrarent, in publicum prodiit: Cruce frontem signans, alia lampade sibi opus esse negavit: quo dicto & facto Jovis statua corruit. Ipsa inter acerbissimas pœnas Angelùm habuit consolatorem. Verè, nos Crucis pretium nescimus.*

O! Sancta Virgo signa me, & in periculo DEUM offendendi, & in ultimo potissimùm agone, signô salutiferæ Crucis, ut omnes dæmonis molitiones in nihilum cadant, & ego securè DEO serviens ad æternitatis ducar triumphos. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XI. MAJI.

Sanctus ANTHIMUS *Presbyter, propter Christum alligato ad collum saxo in Tiberim projectus, à coruscante Angelo liberatus est: multos ad Christum & martyrium adduxit, quos deniq; & ipse capite plexus, est secutus. Perfectus DEI amor solus esse non potest.*

Impetra mihi illum perfectum amorem DEI; ut, quotquot possum ad ejus amorem alliciam

verbo

verbô & exemplô: sic confido, in hora mortis non defuturum mihi Angelum ejus, qui ex tenebris hujus mundi me in lucem perpetuam educat. Hoc idem mihi impetrate, &c.

XII. MAJI.

Sanctus PANCRATIUS *Patre orbus 14. annorum puer, ubi Romæ aquis salutis à Pontifice tinctus est, non diu latuit Diocletianum. Raptus ad tribunal, maluit vitam perdere & DEI filius esse, quàm Jovem adulterum (sic eum vocabat) colere, & à Diocletiano in filium adoptari. Et hæc summa sapientia est.*

Adjuva nos precibus Tuis, Sancte Puer, ut quam exemplo docuisti, benè & perfectè discamus Cœli sapientiam; omnia scilicet malle perdere, quàm Christum: sit mihi præ omnibus mundi deliciis & gazis, Christus, ut in ipsius amore vivam & moriar. Hoc idem, &c. *p.* 1

XIII. MAJI.

Sanctus JOANNES *Silentiarius magnarum opum hæres MARIAM extasse hærèdem, extructô nobilissimô in ejus honorem Templô, vivus scripsit. Tanta fuit animi integritate, ut nudum se quoad vixit, nunquam aspexerit: quâ verecundiâ B. Virgini summè charus fuit. Putas, multos inveniet MARIA hodie, quos amet?*

Obsecro JOANNES, instilla hanc animo meo virtutem & in MARIAM liberalem charitatem, ut ipsi sim charus: quo spero, fiet, ut mihi ipsa in ultimo agone assistat, &

non

non ſinat, quem charum habuit, eò abripi, ubi amare in æternum non ampliùs poteſt. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag. 1.*

XIV. MAJI.

Sanctus BONIFACIUS Romanus, *quòd cum Agláë impudicè verſatus eſſet, pœnitentiæ causâ ad conquirenda Sanctorum Martyrum Corpora & ſepelienda peregrinatus eſt. Tarſi Ciliciæ Martyrum incula exoſculans, captus, in tormentis DEO gratias egit. Peccâſti? nè pereas, plenè pœnitentiam age.*

Sancte BONIFACI, in hoc mihi benefac quantumvis immerenti, quem vides tot peccatis, & peccandi conſuetudinibus, quaſi ſepultum, excita, quibus modis potes, ad pœnitentiam, & Tuis precibus adjuva; ut priuſquam hora ultima appropinquet, dignos pœnitentiæ fructus faciam. Hoc idem, &c. *pag. 1.*

XV. MAJI.

Sancta DYMPHNA *Regia Virgo à proprio Parente in thorum pellecta, ut & Virgo & DEI ſponſa maneret, ultra mare fugit: ſed etiam illuc barbarus leno Pater penetravit. Cùmq; ad ſcelus filiam movere non poſſet, gladiô peremit. Cadaver Angeli in candidiſſima marmorea urna ſepelierunt, & Virginis Nomen rubro lapillo inſcripſerunt. Si caſtorum funus Cœlum curat: quis impurorum?*

O! age, caſtiſſima Virgo, ut ſemper unà Tecum mortem potiùs eligam, quàm quodlibet

peccatum! age ut hic mihi corporis & animæ puritas cordi sit, ut moriens ab Angelis portæ in Cœlum, & nomen meum in DEI pectore scriptum reperiam. Hoc idem, &c. *pag.* 1

XVI. MAJI.

Sanctus JOANNES NEPOMUCENUS *integritatis illustre speculum, DEO fidelior quàm Regi; confessionis sigillum violare nolens, in subjectum Pragensi ponti Moldavam præcipitatus est. Sed DEO fidelitatem remunerante, per ignes & aquas clarior evasit. Extractus indè, & in Metropolitana conditus, promptum hodiedum ignominiæ periculo laborantibus Patronum agit. Quantum lucrum DEO fidelem fuisse.*

O! Sancte JOANNES NEPOMUCENE Patrone mi, veneror Te in gloria Cœlesti aureâ Coronâ immortalitatis amictum, & inter filios DEI computatum: veneror etiam, & exosculor omnes corporis Tui reliquias, maximè cineres Cordis Tui, in quo tantus Divinæ Majestatis ardor inhabitavit; simul etiam ad Te confugio, orans supplex, ut me Tibi à Divina Bonitate comissum hodie, & totâ vitâ meâ Tuo patrociniô protegas, & à pudore mundano custodias.

Itèm. Sanctus UBALDUS *Episcopus, curatis duobus cæcis, tertio idem roganti suasit, ut cæcitatem mallet quàm lumen, cordi tenebras illaturum. Ab infimæ sortis homine publicè ignominiâ affectus, pro vindicta ei osculum tulit. Pudeas*

deat eum, dices, animi tam abjecti: imò Te pudeat animi tam malè Christiani.

Impetra mihi Sancte UBALDE, & nunc & contra omnes inimicos cor amicum, ut illud & vivens & moriens possideat JESUS. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XVII. MAJI.

Sanctus TORPES *ex impia Neronis aula piissimus aulicus, quòd precibus æmulam Cœlo machinam, quâ Nero novus in terris Jupiter mortalibus illudebat, fregisset, factus ex aulico Martyr, & Cœli multò solidior hæres. Stultus est, qui Cœlum sibi fabricat in terris.*

Apta me aulæ Cœlesti, ô! S. Aulicæ nè, mihi Cœlum fragile & vitreum in terris quæram: sed æternum in DEO mihi Cœlum ità vivendo ædificem, ut animam meam post mortem meam Cœlo invehas. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVIII. MAJI.

Sanctus ERICUS *Sueciæ Rex, Christo regna lucrari studuit, patriæ & pauperum Pater dictus. Æstus libidinis glaciali aqua suffocavit. Cæsis bello hostibus lachrymis ipse suis parentavit. Hic verè Rex est, qui se bene regit.*

Ora pro me Sancte ERICE, ut Sanctorum præclarè facta animo generoso imitari nec tædeat, nec pigeat: & ut in hoc sedulò incumbam, ut passiones meas Christo JESU Regi Regum subjugem, & multorum cum his præ-

liorum victor in Cœlo triumphem. Hoc id
mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

XIX. MAJI.

Sanctus IVO *Jurisconsultus Christum in sona pauperis habuit convivam, panes orando xit, morbos curavit, flammas precibus extin signô crucis per aquas sibi viam fecit, inter s vissimos Crucifixi amplexus ad DEI Tribu abiit, suam causam acturus, & vicit. At q modo, ais? Pauperum, dum vixit, viduar & pupillorum fuit Advocatus: his linguam su non vendidit, sed eorum causas beneficiis & el emosynis emit. Nescitis, ô Jurisconsulti! qu sit bona pauperum causa?*

Sancte IVO, ecce animam meam paupe culam! habet hæc, læsæ Majestatis Divinæ r causam difficilem apud DEUM agendam. O secro, causam ejus suscipe! ut verò felicit tractare possis, impetra mihi illam Tuam pauperes charitatem, ut illis benefaciendo multos habeam apud DEUM pro causa me intercessores. Hoc idem mihi, &c. pag. 1.

XX. MAJI.

Sanctus BERNARDINUS *Senensis s suâ præsentiâ turpiloquia compescuit, quando alapâ in viro ea castigavit. Fœminas omnes a mo, præter MARIAM delevit: hujus coron tam attentè oravit, ut illa assidens diceret: B* nardine, in hac devotione multùm mihi co placui. *De JESU Nomine tam ardenter*

cere

cere solitus, ut JESU Nomen caput ejus, illustraret. Quàm proficua in JESUM & MARIAM devotio! sed quàm paucorum!

Ora, ut & ego duobus his, JESU & MARIÆ Nominibus sim devotissimus; ità loquar cum DEO, mecum, & cum proximo, ità JESU & MARIÆ serviam, ut me in morte non pœniteat vixisse. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXI. MAJI.

Sanctus HOSPITIUS *in altæ turris carcere voluntariè, ferro gravis, squalore deformis, vermibus è corpore scaturientibus plenus & orans, negabat vel vermem sibi, vel alios cruciatus gravés esse, quòd iis excitaretur ad* DEUM *amandum. Tanti est, quomodo rebus utaris!*

Ora, ut sciam & ego uti doloribus ad amorem DEI. Crescant dolores, & crescat DEI amor: ut sic per dolorem & amorem ità ad mortem perveniam, ut locum illum, ubi nullus erit amor, sed æternus dolor, evadam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXII. MAJI.

Sanctus BASILISCUS *Miles, videns Theodori cognati sui martyrium, erubuit tot se pro Cæsare Maximiano vulnera, pro Christo tulisse nullum. Invitavit eum Christus ad pugnam: & ferrô soleatus, capite pro Christo minutus est. Non desunt piorum exempla: vide tu, ne desis imitationi.*

Accende me exemplis Tuis, sicut Tu accensus

ſus es alienis. Ora JESUM, ut & mihi det illam patiendi ſitim, ut me ad certamen mortuale accingat, animet, juvet; ùtq; in me pugnet, vincat, ac æternùm triumphet DEUS. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIII. MAJI.

Sanctus DESIDERIUS *poſito humano reſpectu Reginæ impuritatem corripuit: ideò contumeliam & exilium paſſus, à Chriſto ad martyrium invitatus, pro perſecutoribus ſuis oravit. Si hominibus ſtudes placere, ſervus DEI non es.*

Intercede & pro me, ut nullus me humanus reſpectus ab æternis abducat. Alta illa & maxima maximi DEI principia mihi imprime, ut illorum ductus id agam in omnibus, ut me poſt vitæ finem ad primum omnium principium DEUM deducant. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIV. MAJI.

Sanctus SIMEON *Stylites, ſextô ætatis annô in ſolitudinem ſecedens, cum Cœlitibus familiariter nectare paſtus vixit. Sexenniô ſic exactô cœnobium ingreſſus, ſic profecit, ut à Magiſtro ſuo ad columnam invitatus, ſtaret corpore & animo ſupra terram eminens. Sta, ſed vide, nè cadas.*

Ora pro me, ut hìc ità ſtem, ut videam, nè cadam: ut me oratione & jejunio familiarem Cœlitibus reddam, quorum ſolatia, & nectar in morte prælibem, & poſt mortem illis æternùm fruar. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXV. MAJI.

Sanctus MUTIUS *latro, spoliaturus Parthenonem, somnô oppressus, ad tribunal sibi visus est rapi, & ostendi inferorum pœnas ni resipiscat. Unde aliam vitæ rationem instituens, è latrone factus est virtutis magister: & alii, ut se ad mortem pararet, triennium impetravit. Si latrones* DEUS *recipit: tu nè desperes.*

Impetra mihi lumen illud, in quo peccatorum attrocitatem, Judicem & supplicia videam, doleam, & emendem: nè imparatus hinc abripiar, sed cùm optimè paratum me viderit, tunc me ad se venire jubeat DEUS meus. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXVI. MAJI.

Sanctus PHILIPPUS *Nerius à Puero virginitatem custodivit, jejuniis, vigiliis, & orationibus intentus. Charitate* DEI *cor ejus sic æstuabat, ut majus in pectore spatium per miraculum obtinuerit. Omnes amamus aliquid: cur non* DEUM?

Utinam ad sanctum illum amorem rude hoc cor erudias, ut amet omnia, quæ amat DEUS, & nihil nisì propter DEUM: ut felici morte hinc emigrantem animam meam, illuc, ubi Tu es, videas ascendentem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXVII. MAJI.

Sancta RESTITUTA *Virgo, non alteri, quàm Christo nubere desiderans, orcum corriva-*

lem ſenſit: ſed fugâ eluſit dolos. Fugiens, bonum Angelum comitem habuit, & inter tormenta ſolatorem. Scorpionibus pro Chriſto cæſa, cecinit dicens: Omnia ſibi propter Chriſtum dulcia eſſe. *Si DEUM amas, nihil Tibi difficile erit.*

O! fac mihi dulcia omnia, quæ DEI ſunt! doce me & nunc & totâ vitâ meâ fugere pravas dæmonum ſuggeſtiones; & ad me bonos genios mitte, ut cum his, & Tecum apud DEUM meum totam æternitatem vivam poſt mortem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXVIII. MAJI.

Sanctus GERMANUS *Epiſcopus, mortis ſuæ ut ſemper eſſet memor, quintam Calendas Junii (quæ ultima dies futura illi erat) ad lecti ſpondam adſcripſit. Expertus nimirum à primis annîs, nunquam non de vita hominem periclitari: nam nondum nato mater, nato avia, venenum miſcuerunt. Quidnî omnem horam timeas, quando omnis ultima eſſe poteſt?*

O! ſim & ego ità ſemper mortis meæ memor, ut & vigil, & dormiens ſemper ſim paratus: nec peto ſcire, quando moriar, niſi id velit DEUS: ſed ut ſanctè moriar, hoc peto: & ut Tu id roges ac impetres, rogo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIX. MAJI.

Sanctus ANDREAS *de Chio, febri eſtuans, MARIÆ caſtitatem vovit, ſanitatem impetravit. Conſtantinopoli inter dolores pro fide*

ſinè

finè doloris signo hoc unum dixit: MARIA juva me. *Vis à MARIA diligi? dilige.*

Per hos ego Te dolorum Tuorum agones, per DEIparam Virginem, Tuam, meamq; Matrem rogo adsis mihi inter dolores ultimi agonis mei: & cùm ego non ampliùs poterò, clama pro me: *MARIA Virgo juva eum.* Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXX. MAJI.

Sanctus ISACIUS, *Valentis Imperatoris interitum vaticinatus, nisi desisteret Catholicos oppugnare, in vinculis detentus, donec ex prælio rediret Valens, veridicus inventus est, nec enim rediit. Morienti Cœli Portas aperuit DEUS. Ut & tibi aperiantur, esto servus fidelis.*

Adesto mihi, obsecro, quando iturus sum ad portas mortis, & ora pro me DEUM, ut sicut Tibi, ità & mihi morienti, per Tuas & omnium Sanctorum preces pateant Cœli portæ. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXXI. MAJI.

Sancta PETRONILLA *Virgo, S. Petri Filia, inter omnes morbos & dolores DEO semper gratias agebat. Recusato nobili matrimonio præcibus se totam impendit, inter quas etiam acceptâ Eucharistiâ exspiravit. Sic mori cupis? assuesce sic vivere.*

Ora pro me, Sancta Virgo, ut nullo mihi sit impedimento corpus meum & proximus! quò minùs in vita frequenter & devotè orem; ut,

ut, ubi & corpus & omnia deſeram, ad locum eum perveniam, ubi DEUM ſinè fine laudabo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

JUNIUS.

I. JUNII.

SAnctus SIMEON *ſolitudinis amantiſſimus, multùm à dæmonibus paſſus, ſed orationibus & jejuniis vicit. Quid mirum toties nos vinci? tepidè oramus, & malè jejunamus.*

Arma me contra omne id, quod morienti obeſſe poteſt ad æternitatem. Ora, ut oratione & jejunio tentantem me hoſtem ità ſemper vincam, ut cum DEO & Tecum in æternitate triumphem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

II. JUNII.

Sancta BLANDINA *Virgo à manè uſq; ad veſperum pro fide cruciata, inter dolores clamabat;* Chriſtiana ſum: apud nos nihil ſceleris admittitur. *Inter beſtias & tormenta illæſa, caput pro Chriſto dedit. Ab hac Virginis voce quàm procul abſum!*

O! Sancta Virgo! ora, ut ità vivam, & ità moriar verè *Chriſtianus, ut nihil apud me admittatur ſceleris.* Defende me, nè me irretire poſſit dæmon, & impetra ut non tradat beſtiis meam hanc animam ſibi confitentem DEUS meus. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

III.

III. JUNII.

Sancti PERGENTINUS & LAURENTINUS Fratres, quòd Christiani, *fustibus & inediâ vexati: se ipsos animarunt invicem, non præsentia, sed æterna ut timerent tormenta. Inter præsens & æternum magna est diversitas: vide quid eligas.*

Amem æterna præ his, quæ ad mortem stulta corda invitant; timeam æterna præ his, quæ hic terrent: & ità per mortem felicem ad vitam felicem inviter. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

IV. JUNII.

Sanctus QUIRINUS *Episcopus innumeris tormentis cruciatus,* DEUM *negare noluit, inquiens, à* DEO *se didicisse pro immortalitate, mortem contemnere. Quid de Te sentis, qui non jam sinis violenter Tibi auferi* DEUM, *sed sponte abjicis?*

O! quæso nulla creatura è corde meo eximat DEUM! ut propter DEUM, & vitâ & morte contemptis, ità moriar, ut in moriente corde meo se inveniat DEUS meus, & se cor meum in DEO meo inveniat in æternitate. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

V. JUNII.

Sanctus BONIFACIUS *Germaniam ad Christum multo labore convertit, ad labores à Michaële Archangelo animatus. Tandem à Frisonibus, quos Christo nuper genuerat, dum eos S. Chrismate uncturus adiit (cum* 51. *sociis)*

peremtus. Nunquam DEUS suis operariis deest.

Anima etiam me unà cum S. Michàéle, morientium Advocato, in ultimo vitæ agone; ut fortiter contra hostes infernales pro DEI gloria pugnem, & à Vobis in æternam gloriam deducar. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

VI. JUNII.

Sanctus NORBERTUS *Præmonstratensium Fundator, & Archi Episcopus Magdeburgi, quòd in pravos urbis mores pro DEO liberè diceret; odia sibi peperit. Se suòsq; æternùm MARIÆ devovit: à Christo Crucifixo, cui imprimis erat devotus edoctus est de Ordinis sui progressu. Qidnî Crucifixum JESUM & MARIAM ardenter diligo?*

Commenda me Christo in cruce morienti, & MARIÆ, ut sim sicut oliva fructifera in domo DEI mei: ut vivens & moriens sit cor meum conscientiæ candore ornatum, & in Paradisum æternitatis in pace transferar. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VII. JUNII.

Sanctus ROBERTUS *Abbas lautè epulari sibi visus, si in Paschate avenaceum panem butyro adipatum comedisset: mortuus à tribus Angelis Cœlo visus est inferri necquidquam contrà latrantibus dæmonibus. Angelos fac habeas comites, & ridebis dæmonem latrantem.*

O! Sancte ROBERTE, latrabunt etiam contra me morientem dæmones, ut Cœlo non inscri-

inscribar: verùm, assiste Tu mihi tunc cum Angelis Tuis, & meo Custode; ut non prævaleant mali Angeli, sed à bonis ad bonam bonorum æternitatem deducar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VIII. JUNII.

Sanctus MEDARDUS, *opum suarum ex patrimonio, non alium usum habuit, quàm liberalitatem in pauperes. Puer prætextam suam cæco donavit, & ad matrem nudus rediens, gestiit, quòd Christum vestisset. Morituro Cœlum pandi est visum. Si liberalibus in pauperes Cœlum aperitur, profectò àvaris claudetur.*

Amem, obsecro, pauperes, ut me etiam DEUS amet! aperiam erga illos cor, ut & mihi morienti DEUS aperiat Cœlum, & animam meam paventem contra infernales vultures securè cò deducat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

IX. JUNII.

Sancti PRIMUS & FELICIANUS *Fratres, pietate sua contra Deos, patientiâ contra Tyrannos pugnârunt: Virgis, plumbatis, leonibus & ursis vexati, capite mulctati triumphârunt. Frustrâ triumphos expectas, si pugnare nolis.*

O! nobile par Fratrum, animate me in adversitatibus, ut patientiâ & pietate me JESU Crucifixi servum probem; ut in morte me ille vocet ad coronam æternitatis, ubi Vobiscum triumphem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

X. JUNII.

X. JUNII.

Sancta MARGARITA *Scotorum Regina, noctu non priùs cubitum concessit quàm de Sanctissima Triade, S. Cruce, B. Virgine matutinum, certas preces pro Defunctis, & Psalterium Davidis percurrisset, & sex pauperum pedes abluisset. Manè novem infantulos pauperes flexis genibus cibô pascebat. Per diem cum Malcholino Rege Conjuge* 300. *pauperibus cibos ministrabat: ipsa dein sola, priusquam accumberet,* 24. *pauperibus ministrabat. Sic peracta dies, putas perditur?*

Ora pro me, ut ego dies noctesq; vitæ meæ sic transigam ad DEI mei honorem, ut per illos ego præparer, non ad noctem, sed diem æternitatis inchoandum, ubi hinc migrabo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XI. JUNII.

Sanctus BARNABAS *Christi discipulus, D. Pauli socius cùm Christum Salaminæ, æternam gloriam bonis, pœnas æternas malis præparatas prædicaret, lapidibus obrutus, & in ignem conjectus est. O! quam est gloriosus, qui pro Fide moritur!*

Habe mei curam, sancte Christi discipule, cùm in ultimæ infirmitatis meæ lectulo decumbam; ut indè non ad eum locum descendam, ubi omnibus omnium infirmitatum tormentis majores sunt dolores, quia æterni: sed ad amœnissimum æternæ sanitatis locum ascendam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XII.

XII. JUNII.

Sancti BASILIDES, CYRINUS, NABOR, & NAZARIUS, *Milites Romani, propter Christum vincti, nec in carcere, nec in tormentis cessârunt Christum prædicare. Verus Christi servus homines non timet.*

Sancti Milites, sicut exemplo Vestrô me docuistis hominem non timere, sed potiùs eum, qui potest corpus & animam perdere in gehennam; ità etiam præcibus Vestris mihi impetrate, ut usq; ad finem vitæ meæ timeam DEUM, & ei soli placere studeam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIII. JUNII.

Sanctus ANTONIUS *de Padva, severè pro concione in vitia invectus, multos à pravitate vitæ revocavit: indè dæmon ei infestus, noctu suffocare conatus: sed MARIÆ Nomine dæmonem fugavit. Quid tu agis?*

Sancte ANTONI, effice apud JESUM & MARIAM, ut MARIA à me dæmonem, præfocare me æternùm conantem, fuget, & JESUS morienti unà cum illa mihi benignus assistat. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIV. JUNII.

Sanctus BASILIUS *Magnus per MARIAM impetravit, ut Julianus Apostata divinitus puniretur; virginitatis florem orationibus, jejuniis, & studiis custodivit, ut illibatum tumulo inferret. Tu putas, tuam in otio, deliciis & tepore custodies?*

Illutesce

Illucesce mihi sub vesperam ac tenebras mortis meæ Tuis meritis & precibus discute: & me ex hoc diserto feliciter eductum, deduc salvum in terram, imò in Cœlum promissionis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XV. JUNII.

Sanctus VITUS *admodum puer, baptizatus: quod ægre ferens Pater, ipse filium judici verberibus castigandum sistit: sed is flagra Christianâ fortitudine sustinet. Dein mulierculis seducendus traditus: sed ope Cœlesti vicit, Romæ pro fide martyriô affectus. Nec inter Parentes semper tuta fides.*

Sancte VITE ora pro me, & impetra mihi illam animi fortitudinem, ut â recto tramite nec Parentes, nec consanguinei, nec deliciæ, nec minæ me avocare possint: sed usquè ad æternitatem curram, in qua me coronet JESUS omnium bonorum remunerator. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVI. JUNII.

Sancta LUDGARDIS *Virgo non ignobiles habuit procos: sed corrivalis Christus ut sibi eam desponderet in pectore cor suum saucium ostendit, & ejus vulneris nectare potavit: ex quo omnia ei humana vilescere, & nulli præter Crucifixi amores, placere; moritura JESUM & MARIAM sibi obvios habuit. Sperne mundum, & sapiet JESUS.*

Sancta Virgo ora pro me, ut ad talem mortem

tem ità cor meum disponam, ut nil me delectet, nisì quod est secundùm cor JESU & MARIÆ: ut Crucifixi & MARIÆ amantissimus illos ad magnum illud iter duces habeam. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XVII. JUNII.

Sanctus RAINERUS *ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentiæ fecit, & noxius pudor fecit, ut pœnitentiæ tabulâ non enataret. Quare objurgatus ab Angelo, bonâ fide se reum peregit, cum tanto dolore, ut ex continuis lachrymis oculos perdiderit. Erubescis coram uno homine! ô! quid facies olim coram toto orbe?*

Ora pro me, ut ità sanctè, ità crebrò confessiones meas, dolore & proposito solido animatas (non superficie tenus tantùm) institutam, quasi jam jam moriturus, nè ultimum, ìdquè gravissimum in morte naufragium faciam. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XVIII. JUNII.

Sancti MARCUS & MARCELLIANUS *Fratres, propter fidem in pedibus clavis confixi, diem noctèmq; in tormentis inter divinas laudes transegerunt, dicentes: nunquam se tam jucundè epulatos, quàm libenter hæc pro Christo paterentur. Quàm male epulabitur, qui propter mundum, Christum vel opere vel verbo negat.*

O! ardeam & ego illo amore, ut tam libenter pro Christo omnia humana spernam, & injurias, & quidquid mundus intulerit adversi,

patiar,

patiar, ut æternùm vobiscum ad mensam Regis Cœlestis epulari possim. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIX. JUNII.

Sancti GERVASIUS & PROTASIUS *Fratres, distributo patrimonio in pauperes, & servis libertate donatis, odium gentilium Sacerdotum in se concitârunt. Cùmq; negare Christum non vellent, hic gladiô, ille plumbatis enectus. Mali te oderunt? gaude: hoc bonitatis Tuæ testimonium est.*

Impetrate mihi, ô! Sancti Fratres, ut ità semper vivam, quò DEUS & Cœlites me ament, licèt totus mundus & omnes dæmones oderint: ut post talem vitam cum DEO & ejus amicis æternùm gaudeam, & DEUM sinè fine amem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XX. JUNII.

Sanctus SILVERIUS *Papa omni humano respectu altior, & constantissimi animi, à vero & recto deduci nunquàm potuit; ideò in exilio post multas erumnas extinctus est. Quid juvat esse in Patria, & exulare à DEO?*

Ora pro me, ut hoc exilium, quod habitamus omnes filij Adæ, non ejiciat me in exilium æternum; sed ducat ad Patriam Cœlestem, ubi nobis MARIA ostensura est JESUM benedictum fructum ventris sui. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXI. JUNII.

Beatus ALOYSIUS GONZAGA *ope*

MARIÆ

MARIÆ natus, adhuc infans ostendit, qualis futurus esset. Prima verba dum fari cœpit, dixit: JESUS & MARIA. Hanc gradus ascendens in singulis salutavit. Vix audiit JESUM aut MARIAM dici, & mox in teneras lachrymas solutus: & in amoris tesseram, Florentiæ coram ejus Imagine Virginitatem vovit. MARIAM sumptâ Eucharistiâ, consulens de vitæ statu, audiit: Societatem JESU ingredere. Ingressus (sed post multas cum Patre pugnas) in ea instar Angeli vixit & mortuus nullius gravioris noxæ conscius. Qui sic vivit, quidnî lætus moriatur.

O! Angelice Juvenis; JESU & MARIÆ ardentissime amator! doce me ità tenero, & affixo Cœlis corde orare, ità JESUM & MARIAM ardenter amare, sicut Tu: ità JESU in Eucharistia, & MARIA consiliariis in omnibus agendis uti, sicut Tu; ut moriens lætus illuc abeam, ubi unà cum illis es Tu. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXII. JUNII.

Sanctus PAULINUS *Juvenis, amplissimum patrimonium in pauperes distribuit. Episcopus Nolanus factus, omnibus in captivos liberandos expensis, se ipsum viduæ dedit in commutationem pro filio abducendum. Quid huic charitati dabit DEUS, qui etiam haustum frigidæ remunerabit?*

Ora, nè moriens abripiar in captivitatem æter-

æternam; offer merita Domini JESU & Tua pro me: ſolve vincula mortalium tædiorum meorum in tædiis mortis meæ! voca me, vindica me, & duc me hinc illuc ad libertos DEI. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIII. JUNII.

Sancta MARIA *Ogniacenſis Crucifixum nunquam ſinè lachrymis aſpexit, nunquam coram eo ſinè ſuo, vel aliorum bono oravit, centies quotidie genibus flexis oravit, & trecentis plagis corpus laceravit. Fœminæ morienti, & ob veſtium luxum damnandæ, cor pœnitens impetravit. Quid non impetrat anima* DEO *per orationem familiaris?*

O! nè patere me mori deſolatum! impetra mihi orationis ſtudium, & in hora mortis cor verè pœnitens, ut migrans hinc ſpiritus meus, ad JESUM & ad MARIAM abeat, æternùm victurus in Cœlo. Hoc idem, &c.

XXIV. JUNII.

Sanctus JOANNES BAPTISTA *in utero ſanctificatus*, DEUM *ſuum in* MARIÆ *utero latenten agnovit: à puero eremum habitavit: cibum habuit locuſtas & mel agreſte, veſtem cameli exuvias. Indè pœnitentiam prædicans, viam Chriſto munivit. Sic vivunt ſanctificati? væ mihi!*

Ora pro me Sancte JOANNES, ut poſt tot commiſſa peccata dignos agam pœnitentiæ fructus, & ſic ſinè peccato renaſcar æternitati.

Confige

Confige cor meum, ut non adhæreat hisce mundi fallaciis, sed soli DEO, & in umbra mortis meæ trepidum unà cum JESU & MARIA in umbra Manûs Tuæ protege. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXV. JUNII.

Sanctus GALEICANUS *licèt Gentilis, votum fecit DEO pro victoria; & Angelum cum cruce habuit strategum, quo duce ipse Angelis cinctus Scythas devicit. Redux victor, Christo nomen dedit, & mundo vale dixit, pauperum ac peregrinorum factus Pater, hospes, servus. Nunquam major, quàm cùm se & mundi gloriam vicit.*

Sancte Dux adesto mihi, cùm ultimum mundo dicam vale per mortem: adesto mihi cum Tuis Angelis & cruce, quando cum principe tenebrarum pugnabo: ut vincam & moriar, æternùm coronatus. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XXVI. JUNII.

Sancti JOANNES & PAULUS *Fratres Juliani impii familiaritatem declinârunt, nè contaminarentur ejus moribus. Omnes facultates in pauperes erogârunt, ut paratiores ad mortem essent. Nè sic desipiam, ut mundi sim amicus, & DEI inimicus!*

Orate pro me, ut fugiam & ego inimicas amicitiæ Christi amicitias. Amicitia hujus mundi, scio, inimica est DEO. Me precibus Vestris juvate, ut DEUM præ omnium hominum respectu habeam semper præ oculis, &

DEI

DEI potiùs, quàm ullius mortalium, amicus vivam & moriar. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XXVII. JUNII.

Sanctus LADISLAUS *Ungariæ Rex Apostolicus, familiares in Aula sua habuit Angelos; qui tum in duello cum patruo suo, tum in aliis pugnis astiterunt. Dux lectus copiarum pro recipienda Terra sancta, in ipso aditu gloriosè occumbens Cœlum ingressus est. Angelos devotè cole, experieris amicos.*

O! Sancte Rex, defende me cum Angelis illis Tuis in ultimo & singulari meo certamine. O! experiar opem Tuam, ut vincam in horrendo illo mortis duello, ubi mihi pro æternitate pugnandum, vincendum, & moriendum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXVIII. JUNII.

Sancta POTAMIÆNA *spretis pluribus procis contra Tyrannum virginitatem suam patientiâ defendit. Ad rogum ducta à Basilide est contra populum defensa; gratitudinis ergò ad Cœlum invitavit, quòd capite plexus adiit. Quàm gratus tu es Cœlitibus?*

O! Cœlestis Virago! quæso, ora illic pro me, ut pro beneficiis è Cœlo acceptis gratus vivam semper, gratùsq; moriar. Tuere me viventem & morientem contra hostes omnes in terris, ut in æternitate coronatus, æternùm DEO, ac Tibi sim gratus in Cœlo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIX. JUNII.

Sancti PETRUS & PAULUS *Apostoli, Ecclesiæ Principes.: quorum ille Christi in terris Vicarius, quæ ad ignem Jerosolimis peccaverat, jugi oculorum imbre plectens, JESUM secutus est usq; ad mortem crucis. Hic verò Vas electionis, Nomen JESU portavit coram gentibus; capite abscisso lac fudit: caput rejectum ter JESUM inclamans triplici saltu tres fontes elicuit. Quanta vis charitatis! Petrum perfidum, & Paulum persecutorem DEO reconciliavit.*

Orate pro me Sancti Apostoli, ut in ultimo vitæ periculo, non me periclitari permittat DEUS: adeste mihi, sicut pluribus morientibus adfuistis; nè in tempestuoso illo portu naufragium faciam, patiarq;. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXX. JUNII.

Sancta ERENTRUDIS *Virgo Abbatissa, pauperum pedes abluebat, & ulcera ceu gemmas tractabat. Ad mensam accumbens plùs divinis colloquiis, quàm cibo pascebatur. Dicere solebat:* Mihi adhærere DEO bonum est, ponere in DEO spem meam. *An non & tibi bonum esset?*

O! Deo addicta Virgo, illam mihi divinorum aviditatem, illam DEO adhærendi voluntatem, illam adeò cordatam spem impetra; ut illud *adæhrere DEO bonum*, sit mihi bonum æternum, neq; me à DEI adhæsione avellat æternitas. Hoc idem mihi, &c *pag.* 1.

JULIUS.

I. JULII.

*S*Anctus THEODORICUS, *à Paren*
bus ad nuptias compulsis, prima nocte conj
gi, votum virginitatis suasit, & consulente S. R
migio persuasit. Indè Sacerdos ordinatus, vir
tum studio deditus cum fama sanctitatis obi
quem Rex suis ipse humeris ad sepulchrum tul
In quanto pretio tum erat virtus!!

Sancte THEODORICE impetra mi
tam flexibilem animum ad virtutes, ut iis an
mam meam ornem, quo placere possit JES
& MARIÆ, ut in hora mortis meæ mihi ad
sint, & ad æternam gloriam me deportent.
Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

II. JULII.

Postquam B. Virgo nunciante Angelo Verbu
Divinum conceperat, ivit in montana, divinit
impulsa, tum ut Joannes sanctificaretur, tum
Elisabeth cognatæ gratularetur fructum vent
à DEO impetratum. Felix, quem MARI
cum JESU visitat!

O Virgo! non potui Te amare, antequà
nascerer, sicut parvulus Joannes: ora, ut saltè
nunc, & in hora mortis meæ, & per omn
beatitudinis æternitates sim in numero filioru
Tuorum lætantium in Te. Ut hoc fiat ô! D
mina, visita me frequenter cum JESU: i
ut nunc & in hora mortis meæ visitatio T
custodiat

custodiat spiritum meum hinc migrantem, ut in æternum unà Tecum magnificet anima mea Dominum, & exultet spiritus meus in DEO salutari meo. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

III. JULII.

Sanctus IRENÆUS *pro Christi fide in equuleo suspensus, ferreis ungulis in lateribus discerptus, in flammas injectus, aliisq; cruciatibus inter gratias DEO actas immortuus. Si patiendum: cur non libenter, ut prosit?*

Nemo est, scio, qui hinc exeat, quin adversis exerceatur, & quàm infelix ille, qui ex his, in æternas miserias labitur! ora, ut ità hujus mundi adversitates sustineam, ut per eas securam mihi viam sternam ad beatitudinem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

IV. JULII.

Sanctus PROCOPIUS *disciplinarum studiis excultus in monasterium Benedictinorum Brzenowii ad Pragam, ex hoc, in solitudinem se abdidit. Hic infestos sibi malignos spiritus è spelunca sua abegit primùm, contumaces porrò etiam arare saxa cògit. Hoc, aliisq; prodigiis proditus, confluentibus ad se perfectioris vitæ Studiosis, Abbas præfuit ea Sanctitate, ut à morte Innocentio III. Pontifici apparens de se in Sanctorum numerum referendo, eum admonuerit Quem ille cùm ex ore proprio Sanctum judicaret, etiam mundo promulgavit.*

Plenam in nobis æterne Salvator Tuæ virtu-

tis operare medelam, ut qui præclara B. PR[O]COPII Confessoris Tui merita veneramur, i[psi]us adjuti suffragiis, à cunctis animarum nost[ro]rum languoribus liberemur.

Item. Sanctus UDALRICUS *à puero l[e]vibus sermonibus nec linguam nec aurem ded[it]. Socios mundi declinavit, Cupidinem cilicio [ex]sterruit. Veneris flammas immisso in ignem [di]gitto extinxit, fœminas omnes fugit. A tene[ris] sic assuescere, multùm.*

Assiste mihi, & instrue me quid omitter[e], quid agere debeam, ut DEO placeam in v[ita] & morte: sed simul precibus & meritis T[uis] juva, ut quod doces, opere compleam. H[oc] idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

V. JULII.

Sanctus WILHELMUS *Mathematicus[,] Orator insignis, sed factus Episcopus maximè [ce]lebris sua in pauperes liberalitate, quibus vesti[bu]dis non semel seipsum nudavit. Cùm omnia e[ro]gâsset, divina manu deinceps aurum, frumen[tum], vina recepit. Miraris DEUM in te tam illibe[ra]lem? vide, qualis tu sis in pauperes.*

Impetra & mihi hoc donum sanctæ in om[ni]charitatis; ut in hora mortis meæ liberalem mei amantem reperiam illum, qui omnium [o]ne amantium amantissimus est DEUS. H[oc] idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VI. JULII.

Sanctus GOAR *Trevirensium Apostolus,*
micis

micis ſuis euntibus, ut innocentiam ejus apud Archi-Epiſcopum traducerent, & menſam paravit, & in via nè deficerent, cervam impetravit, quæ lacte foveret. Ad tribunal Archi-Epiſcopale fornicationis accuſatus, ex infante Patrem ſuum rogavit, qui alium linguâ & digittô oſtendit. Diſcite benefacere his, qui vos oderunt.

Innocentem ab omni nævo vitam non duco, multorum apud DEUM criminum reus; ſed Tuis precibus mihi impetra talem pœnitentiam in vita mea, ut in morte & poſt mortem coram DEO Judice innocens compaream. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

VII. JULII.

Sanctus WILIBALDUS *Puer adhuc, ſe peregrinum in mundo agnovit. Hinc poſitis regiis inſignibus, peregrinorum more Romam cum Patre, Fratre, & Sorore, dein Jeroſolimam peregrinatus. Quàm deſipit, qui hic ſibi patriam fingit?*

Sancte WILIBALDE cum tota ſancta Familià Tua ora pro me, ut ità me in hoc exilio & peregrinatione mea geram, ut non adhæream corde his perituris rebus, ſed toto corde aſpirem & tendam ad Patriam Cœleſtem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VIII. JULII.

Sanctus KILIANUS *cum Colomanno & Totnano ſociis Chriſtum in Franconiam primò intulerunt, ipſumq; Ducem Gosbertum Herbipoli*

Chriſto Conciliârunt. Huic dum defuncti fratri Conjugem diſſuadent, ab ea necantur. Tu, ſi ſa pis, nec blandienti, nec iratæ fœminæ fide.

Sancte KILIANE, cum Sociis, impetr mihi eos animos, ut nec blandimenta, nec ter rores me unquam à veritate avertant; ſed eam per omnia pericula uſq; ad mortem, & ſi opu eſt, ſanguine fuſo, conſtanter profitear: Ho idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

IX. JULII.

Sancta ANATOLIA *Virgo ob fidem i exilium miſſa. Sed ibi, cùm moribundorum e ſet aſſylum, inſtruitur magus, qui immanem ſer pentem in eam armet. Erravit ſerpens, & mag collo implicitus eum ſuffocâſſet, niſi precibus Virg liberaſſet. Si malus es, time ſerpentem infernalem.*

Intercede pro me, nè antiquus ille & call dus ſerpens, qui calcaneo, hoc eſt, ultimo vi tæ meæ inſidiatur, mihi noceat, nempe Para diſo extorrem faciat; ſed ut potiùs cum DE in Paradiſo Beatorum, è quo ille infelix exc dit, æternùm Tecum vivam. Hoc idem mi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

X. JULII.

Sancta FELICITAS *ſeptem Filios ſu Martyres in tormentis, Januarium ſub plumb tis, ſub fuſtibus Felicem atq; Philippum, in præ cipitio Silvanum; Alexandrum, Vitalem, & Ma tialem ſub ſecuri, generosè hortata, non pœna ſed quæ Cœlum gaudia ſpondet, aſpiciant. In*

liis

liis poſtquam ſepties mortua, ferrô & ipſa martyrium ſubiit. Hæc verè eſt Mater!

Eſto & mihi Mater: adeſto mihi, & adhortare, ut & ego in agone meo ultimo pro DEI gloria glorioſus decertem, & moriar de hoſte victor, Tecùmq; & cum Filiis Tuis æternum DEO triumphos decantem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XI. JULII.

Sancta GOLINDUCHA *adhuc Gentilis epuleo aſſidens, animô Cœleſtes delicias primò, dein fame & ſiti cruciatum apud inferos epulonem, & cum eo proprios parentes contemplata, ad Chriſtum ſe convertit. Noviſſima cogita, & non peccabis.*

O! recorder & ego æternitatis utriuſq; in omnibus actionibus meis, & ſic me præparem ad beatam mortem, per quam deducar ad vitam ſinè morte vivendam, ubi æterna eſt felicitas, & felix ſatietas. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XII. JULII.

Sanctus JOANNES GVALBERTUS, *cognati ſui interfectori, in Chriſti gratiam, veniam poſcenti, dedit; & Templum ingreſſus vidit Crucifixum capite annuere, & Cœlum donare. Hac charitate Cœlum expugnatur.*

Roga etiam pro me JESUM crucifixum, ut in Tui gratiam mihi omnia ignoſcat, quibus eum offendi. Ego etiam ex nunc omnibus libentiſſimè propter ipſum ignoſco. Utinam & nunc Tibi pro me felicem mortem petenti in-

clinato capite annuat DEUS. Hoc idem, &c.

XIII. JULII.

Sancta JUSTINA *Virgo, inter carnificinam læta, rogata à Zenone è Paradiso fructus mitteret: misit strophium, quo dum frontem cum risu abstergit, & Christianus & Martyr efficitur. Quid horres dolores, quibus Cœlum emitur?*

O! Sancta Virgo! mitiga Tuâ illâ lætitiâ mortis meæ dolores, & mortales meos sudores illo Tuo sudario absterge, ut lætus moriar, & amœnam Paradisi æternitatem lætus ingrediar. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIV. JULII.

Sanctus BONAVENTURA *bibliothecâ non aliâ usus, quàm Crucifixô; primus sub noctem pulsum æris campani instituit, quo B. Virginem salutamus. Quid desit, si JESUM habeam & MARIAM?*

Rogo Te per JESUM crucifixum, & MARIAM, ora pro me, ut bonus Crucifixi discipulus, bonus MARIÆ servus & filius vivam & moriar. Hoc idem mihi impetra S. HENRICE Imperator, castissimæ Cunegundis castæ conjunx, & omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XV. JULII.

Sanctus JACOBUS *Nisibensis Episcopus, precibus saxum in testimonium veritatis in sexcentas partes confregit, & hominem fictè mortuum, verè mori, dein rursum vivere fecit. Cur tuæ preces non audiuntur? vide, quomodo ores.*

Ora pro me optime Orator, ut ego bene discam orare. Tota mea & vita & mors sit sancta oratio, ut etiam in æternitate orem, & DEUM adorem, & semper amem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVI. JULII.

Sancta RAINELDIS *Virgo, Christo verè ad aras usquè amica, quando crucis in modum prona inter laudes divinas virginitatis DEO victima cecidit. Vis DEO esse charus? gratias frequenter age.*

En ego humilis corde ad aram illam pio Tuo sanguine cruentam supplex provolvor, ut id pro me à DEO impetres: ut amando DEO illiq; gratias agendo, vitam, mortem, & æternitatem meam impendam. Hoc idem, &c.

XVII. JULII.

Sanctus ALEXIUS, *prima nocte nuptiarum Edessam fugit, & inter mendicabula latuit. Proditus Romam rediit, & in Paterna domo ignotus, tanquam mendicus delituit usq; ad mortem. Quàm magnus erit, qui sic se humiliaverit?*

Sancte ALEXI, Virgo, Sponse, commenda me MARIÆ, Matri humilium, ut seriò eligam abjectus esse in militante domo DEI mei usquè ad mortem, ut post mortem sim gloriosus in triumphante DEI mei domo. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVIII JULII.

Beata SYMPHOROSA *septem filiorum Martyrum*

rum Mater, saxo ad collum alligato in aquas demersa filios hortata, animosè per mortem sequerentur in Cœlum. Omnes septem ad palam alligati, Crescentius ferrô guttur, Julianus pectus, Primitivus umbilicum, Nemesius cor trajicitur: Eugenius in duas partes, membratim secatur Justinus, Stacteus telorum fit scopus. Felices hac Matre filii, his filiis Mater!

Orate pro me unà cum Matre Vestra, Fratres fortissimi; conjurate in meam salutem, & impetrate mihi felicem hinc exitum, ut sim frater Vester, & ejusdem Cœlestis Patris hæres, inter Electos filius in æternum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIX. JULII.

Sanctus ARSENIUS *Arcadii & Honorii Magister, audita è Cœlo voce:* Fuge, tace, quiesce: *fugit ex aula in eremum. Continuè lachrymatus, mortis se horam timere dixit. Quis ego? & non timeo, heu me!*

O! timeam & ego timore sancto, ut morte non timenda, sed speranda & amanda defungar: & demum illic tecum sim æternùm, ubi nemo habet malum ullum, quod timeat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XX. JULII.

Sancta MARGARITA *Virgo pro Christi fide virgis cæsa, & uncis lacerata, in carcere dæmonem draconis specie infestum cruce fugavit, & Cœlitus solatia accepit. Cur tu solatia petis è terra?*

Aderit

Aderit & mihi morienti infernalis draco, ſed & Tu adeſto, ut illum ope ac exemplo Tuo crucis ſigno vincam, & in amaro illo mortis ſilentio ſolatia Cœleſtia accipiam; tandemquè illuc perveniam, ubi ſolatia ſunt æterna. Hoc idem mihi Impetrate, &c. *pag.*

XXI. JULII.

Sanctus DANIEL *Propheta multæ orationis, & magnæ mortificationis, detecta iniquitate innocentem Suſannam à morte liberavit. Eſto vir multæ orationis, & quod timeas, non habebis.*

Ora pro me, ut quando in ultimo agone ero in timore ac tremore, nè Leo ille me quærens diſcerpat, ſed qui Te â leonibus illæſum ſervavit DEUS, & me ſervet. Hoc idem, &c.

XXII. JULII.

Sancta MARIA MAGDALENA *licèt poſt lachrymas audierit à Chriſto:* Remittuntur tibi peccata tua; *annos* 33. *prope portum Maſſilienſem acerbam egit pænitentiam. Peccâſti? nè deſpera: Magdalenam ſequere pœnitentem*

Doce me pœnitentialem amorem DEI, ut in morte anima è corpore in Cœlum abeat & indè iterum ad corpus redux, illud ad paratam & corpori & animæ æternitatem ducat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIII. JULII.

Sanctus APOLLINARIS *Epiſcopus, Petri diſcipulus oratione ſua dæmones fecit obmuteſcere, mutos loqui, mortuos vivere. Inter cruciatus*

 gratias

gratias DEO egit. Cur non tam potentes apud DEUM oratores tibi amicos facis?

Fac, obſecro tuis apud DEUM precibus, me ſemper eloqui divinas laudes, & dæmonem mihi adverſantem obmuteſcere, & defende me, ut vincam ſecurus in amaro illo & periculoſo agone æternitatis meæ. Hoc idem, &c. *p.* 1.

XXIV. JULII.

Sancta CHRISTINA *Virgo Chriſti legem ab Angelo edocta, Deos parentis aureos & argenteos comminutos in pauperes diſtribuit. Ideo à patre alapis, vinculis, uncis, rotis, flammis dirè cruciata. Nullibi frequentiùs ſunt Angeli, quàm cum Virginibus.*

Sancta Virgo, adeſto mihi cum Sancto Tuo & meo Angelo viventi, ut me doceatis, DEUM ardenter amare! & morienti, ut adjuvetis, nè incidam in lacum profundum æternitatis miſeræ. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXV. JULII.

Sanctus JACOBUS *Major, Apoſtolus, juvenem innocentem ſuſpenſum vivum conſervat: Carolo Magno aliiſquè in agone ſupremo opi fuit. Times agonem illum? Patronos tibi concilia.*

Adſcribe me Sancte Apoſtole, in eorum Clientum numerum, quos morientes juvas, & es adjuturus. JESU, MARIÆ, & Tibi commendo agonem meum; vos nè mori me ſinite imparatum.

Itèm. Sanctus CHRISTOPHORUS,

verè

verè magnus ut humilem Cœli portam subiret, cervicem gladio subjecit. Postquam 44000. hominum in Lycia ferre Christi jugum docuisset; candente indutus galea, lectóq; ferreo, cui flammæ suberant, injectus, per ignem ad aquam transiit, cùm Christum sub forma puerili transportavit. Quàm dulce refrigerium!

Ut humilem Cœli januam subintrem post hanc vitam, precibus Tuis effice Sancte CHRISTOPHORE; & ora, ut adversa quæque de manu DEI suscipiam, & per patientiam in hac vita veniam in refrigerium æternæ vitæ. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

XXVI. JULII.

Sancta ANNA, *MARIÆ Dei Matris Mater, & JESU Christi Avia; potens apud Nepotem Patrona.*

Per illum, quo Te DEUS JESUS, & MARIA Filia Tua dulcissima honoravit, & amorem & honorem, ora pro me, ut ità Te colam, ut experiar, quod MARIA Filia Tua Clienti cuidam Tuo morienti dixit: Quia Matrem meam honorâsti, infernum, nè illum intres, occludam. O! JESU! ô! MARIA! audite pro me deprecantem Sanctam ANNAM nunc & in hora mortis meæ. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.*

XXVII. JULII.

Sanctus PANTALEON *Medicus Christianus velut panaceâ plurimos in Christi Nomi-*

ne curavit. Non ferens Maximianus, variè in medicum ſæviit, & capite mulctavit. Vere Chriſtus unus, omnia eſt.

Sancte Medice, curam mei habe pro æterna vita in morbo ultimo, ut ad æternam æternæ ſanitatis patriam perveniam, ubi morbus nullus, omnis verò ſanitas eſt. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, *pag.* 1.

XXVIII. JULII.

Sancti NAZARIUS, & CELSUS *Puer dignus tali Magiſtro Diſcipulus; cum Criſtum negare nollent, ille calcibus afflictus, hic virgis atrociter cæſus, uterque pro Chriſto capite plexus. O! ſic ego proficiam ſub Sanctis Magiſtris, qui nunquam deſunt!*

Suſcipite curam animæ meæ, nè quando vel inter adverſa vel proſpera à Chriſto deficiam, ſed vobiſcum ad JESUM omnium Magiſtrum perveniam. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXIX. JULII.

Sancta MARTHA *Virgo, Chriſti in terris hoſpita, circa plurima ſolicita, de uno neceſſario monita eſt: cum ſorore ſua impetravit, ut is ſuſcitaret fratrem ſuum Lazarum Excipe tu Chriſtum in pauperibus, ut ab eo excipiaris.*

O! Sancta Chriſti Hoſpita, à Chriſto viciſſim excepta, eſto nunc apud ipſum de me ſolicita pro uno illo neceſſario. Ora, ut in Tui & ſororis Tuæ gratiam me morientem ſuſcitet ad æternitatem vitæ idem JESUS. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXX. JULII.

Sancti ABDON & SENNEN, *nobiles Perſæ, quòd Martyrum corpora ſepelirent, vincti Romam ſunt ducti, ut Deos colerent: ſed maluerunt gladiô percuti. O! ſi tam ſedulò tu animam tuam cures, ùt illi Martyrum corpora!*

Obſecro, habete mei moribundi curam, & animam meam curate: ſi enim hanc Cœlo intuleritis, illic poſtea etiam erit corpus cum anima in glorioſa Beatorum æternitate. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXXI. JULII.

Sanctus IGNATIUS LOYOLA *ex nobili milite Societatis JESU dux, læſus in propugnanda Pampelona, animi ſanitatem recepit. Vulneris curationem debet Divo Petro, vitæ mutationem piorum librorum lectioni, caſtitatis donum B. V. animorum lucro totus inhians, 33. annorum literas diſcere aggreſſus, dein ſocios Pariſiis ſcribere, copiis ſuis ſymbolum præfigere:* Ad Majorem DEI Gloriam. *Hinc cum ſuis ſociis incubuit, ut reducerentur ab exilio Muſæ, ut juventus inſtrueretur, ut proſcriberentur hæreſes ut Sacramenta Pænitentiæ & Euchariſtiæ frequentarentur, ut rudes docerentur Chriſtianam Fidem, & orbis totus Chriſto vel ſubigeretur, vel conſervaretur. Quid ego facio ad* DEI *gloriam? ô! me deſidem!*

Intercede pro me apud Tuum JESUM, ut propitius mihi ſit in vita, in morte, & æternitate.

nitate. Adesto mihi, & exstimula me, ut omnia vitæ momenta ità decurrant ad Majorem DEI gloriam, ut ultimum vitæ meæ opus & momentum sit initium æternitatis & gloriæ meæ. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

AUGUSTUS.

I. AUGUSTI.

Sanctæ Fides, Spes, Charitas, Sanctæ SOPHIÆ *Filiæ pro Christo & fide passæ, vicerunt Tyrannum, dum occubuerunt, triduô pòst sequente Matre. Sinè his virtutibus cave, Cœlum tentes.*

Orate pro me, ut Vestris Vestrorumq; Nominum virtutibus instructus ità vivam, & moriar, ut tandem in regnum charitatis inductus æternâ charitate amem illum, qui charitate perpetua dilexit me. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

II. AUGUSTI.

Sanctus Franciscus Seraphicus hodie in Templo MARIÆ *de* PORTIUNCULA, *gratiam priùs inauditam à DEO impetravit, indulgentiam plenariam omnibus, qui confessi (cæteris operibus seclusis) eo die in Templo illo orarent, quam Sixtus IV. & V. ad omnes Ordinis Seraphici Ecclesias propagavit. Hìc salutis Tuæ satage, si sapis.*

O! Seraphice Pater! commenda hanc & ultimam vitæ meæ horam MARIÆ *de* PORTIUNCULA & Angelis Tuis. Doce cor

meum,

meum, ut ſit ad JESU & MARIÆ cor nutum; & impetra illi plenariam à JESU per MARIAM pro hora mortis Indulgentiam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

III. AUGUSTI.

Sancti STEPHANI *Prothomartyris corpus divinitus repertum, hodie tranſlatum. Flores corpori admoti, cæcæ viſum reſtituerunt. Quid nocebit, ſi tales tibi concilies amicos?*

Adeſto mihi ope Tua Sancte STEPHANE uſq; ad tumbam, & me non ſolùm hìc videre fac ea, quæ DEO placita ſunt, ſed ipſum DEUM æternùm in Cœlis. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

IV. AUGUSTI.

Sanctus DOMINICUS *dum vixit in Ordine ſuo MARIÆ honorem per Roſarium quàm maximè promovit. Quatuor Infulas, ùt alii quæ runt, ſic ipſe rejecit. Ter quotidie in ſe flagello ſæviit: morituro MARIA adfuit. Nemo fruſtrà MARIAM colit.*

Ora pro me, ut MARIAM ità mihi ſanctis artibus deviciam, ut ſicut Tu ipſa præſente in Cœlum abiiſti, ità & ego ipſam experiar in agone Patronam. Hoc idem mihi, *pag.* 1.

V. AUGUSTI.

Annô Chriſti 365. *Romæ Joannes Patritii ſanguinis, quòd prole careret, ingentium opum hæredem ſcripſit MARIAM. Indè hodie monſtrante Cœlo nivibus locum, in monte Exquilino Templum, quod MARIÆ Majori dicimus, ædificavit.*

ficavit. Opum hæredem Eam scribere non potes operum bonorum scribe, & animæ tuæ.

Oro Te, Domina, dignare opera omnia vitæ meæ, mortem & animam meam pro hæreditate Tua accipere, sicut ex nunc Tibi transcribo. Quare rogo, ut semper invigiles, & maximè in hora mortis, nè in Tuam hæreditatem hostis manus injiciat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VI. AUGUSTI.

Hodie in monte Thabor transfiguratus est JESUS, & audita Patris vox : Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. *Audi illum, ut audiat & te.*

Miserere mei, vivorum & mortuorum Sanctissime Judex, ut resurgens corpus meum configuretur corpori claritatis Tuæ, videamq; gloriam Tuam, & experiar bonum esse, me ibi esse, ubi Tu es. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

VII. AUGUSTI.

Sanctus ALBERTUS *à Parentibus* DEO *promissus, severè moram arguente MARIA, datus est. Civibus suis fame pressis tres cum commeatu, Cœlo remige, triremes impetravit. DEO, non diris, tuos devove.*

Ora, ut sicut Te ad aram quasi victimam stitêre parentes, ità Tu cum MARIA animam meam post mortem sistere possis Cœlo, hostiam DEO placentem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VIII.

VIII AUGUSTI.

Sanctus CYRIACUS, *filiâ Regis Persarum à dæmone liberatâ, Regem & 430. alios baptizavit: Romæ post multos circa proximum labores securi percussus. Felices labores, quibus Cælum & impletur, & obtinetur!*

Clament labores Tui pro me, ut in hora mortis meæ non moriar, sed vivam: separetur anima à corpore in tempore, quæ mors est, sed conjungatur cum DEO in æternitate, quæ est vita æterna. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

IX. AUGUSTI.

Sancti FIRMUS & RUSTICUS *post plagas à patria pro Christo acceptas, cibati sunt ab Angelis in carcere. Ab iisdem, gladio cœsi, sunt sepulti Sic amantur ab Angelis, qui patiuntur pro Christo.*

Orate pro me, ut ità libenter pro Christo patiar; ut & vitæ & mortis meæ curam vobiscum suscipiant Angeli lucis contra angelos tenebrarum, à quibus è carcere mortis hujus egressus educar ad DEUM. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

X AUGUSTI.

Sanctus LAURENTIUS, *quòd thesauros Ecclesiæ in pauperes dispersisset, in craticula assatus est, & gratias egit DEO, quia januas ejus ingredi meruisset. Si pati janua est ad DEUM, væ renuntiantibus pati!*

Accende me Tuo illo igne, ut pro DEO

patiar:

patiar: & cum ego jacebo in lecto ultimo, qui valde me uret de æternitate solicitum, ora pro me, nè degenerem me reperiat DEUS: sed ità obdormiam, ut mortem meam sequatur nox, quæ sicut Tua, obscurum nihil habeat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XI. AUGUSTI.

Sancta SUSANNA *virginitatis speculum, oculos Maximiani, sed longè antè Christi rapuit; cujus thalamo, ut sese servaret, illius amores contempsit. Virginitatem nè amitteret, vitam amisit. Piget imitari certamen?*

Ora pro me Sancta Virgo & Martyr SUSANNA ut Sponsi Tui & mei oculis respici merear, præsertim cùm ex vita migrandum erit, ut dignus sim, quem ad nuptias Agni Tecum deducat. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XII. AUGUSTI.

Sancta CLARA *pro urbe Assisio coram Sanctissimo SACRAMENTO orans audiit: Ego vos semper custodiam. Tunc precibus suis hostem, aliàs morbos & dæmones fugavit. Orantes, sed ferventer, petite, & accipietis.*

Ora JESUM & MARIAM, ut me semper, sed in morte maximè custodiant. Tunc precibus tuis animæ meæ morbos, peccata & dæmonem à me fuga; ut Tecum DEUM adorem in beata æternitate. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XIII. AUGUSTI.

Sanctus CASSIANUS *positâ Insulâ pue-*

ros docuit. Quòd Deos nollet colere, ab iisdem jussu Tyranni stylis acutis confixus & excarnificatus est. Solitum juvenibus Minerval, sed quo, magistro Cœlum, sibi referant infernum.

Instilla cordi meo gratitudinem, ut parentibus & præceptoribus, quibus par reddere nunquam potero, saltèm gratum animum exhibeam; nè tuo consortio indignus Cœlo excludar à DEO, qui reddet unicuiq; secundùm opera sua. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIV. AUGUSTI.

Sanctus EUSEBIUS *nè liberè fidem veram propugnare posset, muris sic conclusus est, ut movere se loco non posset. Ità arctatum carcer & sepulchrum inter ardentia pro Christo moriendi desideria per bimestre tenuêre vivum, & mortuum in æternam Filiorum DEI libertatem emisêrunt. Quàm pulchrum, si dum stringitur corpus, dilatentur spatia Charitatis!*

O! Sancte Martyr, en anima mea etiam in corpore velut carcere conclusa detinentur; à quo cùm solvi debuerit, assiste obsecro, nè in horridum illum inferni, sed ad æternam abeat libertatem in Cœlum, Tecum liberè DEUM laudatura æternùm. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XV. AUGUSTI.

Hodie Deipara Virgo anno ætatis (juxta probatos authores) 72. post Christi Ascensionem 24. mortua terris, unà cum Corpore assumpta est in Cœlum. O si trahat nos post se!

O! glori-

O! gloriosissima Cœlorum ac terrarum Imperatrix MARIA, per sacrosanctam & divinissimi amoris plenissimam mortem Tuam, & per amorem, quo DEI Deòq; amantissima fuisti, erisquè æternùm, rogo sit Tibi cordi vita, mors & æternitas mea. Assume misellam hanc animam meam, ad æternitatis nomen trepidam, ut in morte itinere sancto abeat à me ad Te. Cupio DEUM & Te modis omnibus amare, colere, & honorare. Trahe me post Te, ô! Mater, ut curram in odorem unguentorum Tuorum, & in pretiosissimo altissimi erga DEUM amoris actu corde humillimo emoriar, & postea Tecum æternùm vivam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVI. AUGUSTI.

Sanctus ROCHUS *pestiferis amore Christi serviens, Cruce plures sanavit: æger à cane diètim panem accepit. Demum peste mortuus, Cœlitus contra pestem Patronus promissus est. Nè time hoc vel illo morbo mori, sed malè mori.*

Adesto mihi morienti: ut illo morbo, morte illa, tunc & ibi bene moriar, ubi & quando gloriæ suæ & æternitati meæ quàm optimum fore judicârit DEUS. Hoc idem mihi, &c.

XVII. AUGUSTI.

Sanctus MAMMAS *in carcere ex Matre Martyre natus, cum primo lacte suxit fortitudinem: hinc in fornace ardente velut inter flores psallebat. Vis coronari? flores patiendo collige.*

Per

Per patientiam Tuam rogo, impetra mihi cum Matre Tua patiendi desiderium per vitam meam, & fortitudinem in ultimo agone; quâ ità pugnem contra dæmones, ut vincam, & in æternitate à DEO merear coronari. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVIII. AUGUSTI.

Sanctus AGAPITUS *quindecim annorum puer nervis, inediâ, carbonibus, equuleô, fumô, aquâ bulliente cruciatus, DEO semper gratias agebat. Vel à puero discas pati.*

O! ætatem virtute supergresse Martyr, Tuæ fortitudini commendo ultimam illam infirmitatem & fragilitatem meam, nè cum corpore tunc langueat anima mea, sed fidelis DEO inter angores persistat. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XIX. AUGUSTI.

Sanctus LUDOVICUS *Siciliæ Regis filius, Episcopus Tolosanus frequenter MARIAM de die salutavit; rogatus, cur? dixit:* morientem me ipsa juvabit. *Et juvit. Times mori? & MARIAM non salutas?*

Ora pro me vivente & moriente; pro vivente, ut serviam DEO in munditie & puritate; pro moriente, ut morientem MARIA juvet. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

XX. AUGUSTI

Sanctus BERNARDUS, *vale mundo dicens, fratres suos aliosquè post se traxit JESU & MARIÆ semper amantissimus huic quotidie*

tam

tam amanter (Salve) *dixit, ut meruit ab ea* (Salve) *accipere. Et quis non amet MARIAM?*

Impetra mihi animæ puritatem, & instilla cordi meo illum in MARIAM, Tuam & meam Matrem finalem amorem: ut, quod Tu verè dixisti, MARIAM esse spei nostræ fiduciam, & ad Cœlum scalam, in hora mortis meæ merear experiri. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXI. AUGUSTI.

Sancta BASSA, *licèt sacrificulo nupta, tres tamen filios fide Christi imbuit, & Cœlo per Martyrium secum genuit. Hanc mulierem tu fortem neges? fortior te est.*

Sancta Mater, cum Filiis Tuis ora pro me, ut vobiscum JESUS & MARIA me adjuvent morientem: nè in ultimo & difficili agone illo deficiam, sed vobiscum victor ad Cœlum perveniam. Hoc idem mihi, &c *pag.* 1.

XXII. AUGUSTI.

Sanctus SYMPHORIANUS *adolescens post diros cruciatus ad mortem ductus, audiit matrem monentem, esset memor:* horæ unius negotium esse æternitatem. *Et obediit. O! brevis hora! ô! longa æternitas.*

In illo tanto unius horæ, & præcipuè horæ ultimæ negotio juva me, & è Cœlo ad me morientem cum S. Matre Tua respice, ut illud negotium negotiorum in hora illa ex animi sententia conficiam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII.

XXIII. AUGUSTI.

Beatus PHILIPPUS *Ordinis Servorum B. Virginis, Pontificatûs honorem fugâ elusit; à Rudolpho Imperatore redux ante MARIÆ aram abjectus dixit:* Hæc requies mea. *Næ illa suavis, & secura!*

Serve bone & fidelis MARIÆ, ora & impetra pro me, ut requies mea, id est, mors mea, sit in servitio JESU & MARIÆ, quando meliùs mori non possum. Hoc idem mihi, &c.

XXIV. AUGUSTI.

Sanctus BARTHOLOMÆUS *Indorum & majoris Armeniæ Apostolus, centies noctu genibus flexis orare solitus. Pro Christo vivus excoriatus. Tu de die vel semel devotè ora.*

Per illas ferventes preces Tuas, & mortis Tuæ dolores Te rogo, impetra mihi studium sanctæ orationis, & adesto mihi in doloribus mortis meæ; nè me circumdent dolores inferni, sed lætus intrem domum æternæ felicitatis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1

XXV. AUGUSTI.

Sanctus LUDOVICUS *Galliæ Rex, matris Blanchæ votô imbibitô mori maluit, quàm mortaliter peccare. Innocentiam corporis afflictatione custodivit, dum vixit. Hac via Cœlum securè tenetur.*

Ora pro me Sancte Rex, ut ità morti me parem, ut semper & ubiquè mori malim, quàm peccato, quàm iræ DEI, quàm gehennali æter-

nitati

nitati obnoxius esse. Hoc idem mihi imp trate omnes Sancti, &c. *pag.*

XXVI. AUGUSTI.

Sanctus ALEXANDER *ad fidei lumen vocat maluit mori, quàm ad Idolatriæ tenebras rever Ad mortem damnatus, ultro ictum excepit, & cit Quàm cæcus tu, qui tenebras lumini præfer*

Ora, ut vincam semper, & sanctas DEI il luminationes tenebrosis aliorum ad peccatum suggestionibus præferam usquè ad mortem: u post mortem in admirabile lumen ad videndum DEUM inducar. Hoc idem mihi, &c.

XXVII. AUGUSTI.

Sancta MARGARITA *Vidua, panem quem unicum habeat, pauperi (Christus erat) dedit & è Cælo alium recepit. Ut haberet porrò, quod egenis daret, mendicavit. Nemo non potest, velit pauperibus benefacere.*

O! fiat in me hic spiritus Tuus, ut pauperibus libenter elargiar! Tu verò nunc è Cœlestibus thesauris emendica à DEO Tuo & meo quod pauperi animæ meæ, nunc & in hora mortis largiaris, quò beatè migrem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXVIII. AUGUSTI.

Sanctus AUGUSTINUS *moriturus VII Psalmos Pœnitentiales cum lachrymis legit, dicens neminem, licèt nullius sceleris conscium, sinè pœnitentia debere mori. Aut pœnitendum, aut ardendum!*

O! amore

O! amore divino inflammatissime AUGU-
STINE! veris pœnitentiæ ac amoris lachry-
mis, puro DEI calore cor meum imbue: ut
ſancta verè pœnitentium morte emoriar. Hoc
idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag* 1.

XXIX. AUGUSTI.

Sanctus JOANNES BAPTISTA *ob repre-
hensam liberè Herodis Regis impuritatem, dicen-
do: Non licet tibi &c. decollatus est. Veritas
odium parit.*

Ora, ut quidquid mihi non licet, procul ſit
à me, ut ego ſim prope DEUM. In mortis
angustiis oſtende mihi JESUM: *Ecce Agnus
Dei, &c.* & roga, ut JESUS peccata mea tol-
lat ad ſe. Hoc idem mihi &c *pag.* 1.

XXX AUGUTI.

Sanctus BONONIUS *Adoleſcens mortis
cogitationem altiùs animo imprimens, poſthabi-
tis hominum judiciis, mundo mori doctus eſt. Non
malè moritur, qui priùs mundo moritur.*

Imprime & mihi ſanctas bonæ & malæ mor-
tis cognitiones, & humanorum judiciorum de-
ſpectum, ut verè ſervus Christi ſim, & place-
am Domino in regione vivorum. Hoc idem
mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXXI. AUGSTI.

Sanctus AIDANUS *Epiſcopus ſtipem, quàm
pauperi daret, non habens, donatum à Rege O-
ſwino equum cum omni ornatu dedit. Verè mi-
ſericordi nihil minus eſt vel charum, vel pretioſum.*

Nè nega & mihi unam à Te eleemosynā flagitanti. En mensem hunc hodie finito, sed nescio ubi & quando vitam finiam. Tu juva, ut feliciter & omnes menses meos per ultimum vitæ momentum finiam & nunquam finiendam sanctorum æternitatem ingrediar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

SEPTEMBER.

I. SEPTEMBRIS.

SAnctus ÆGIDIUS *puer pauperi vestem dedit, adolescens omnia egenis distribuit, ut perfectè* DEO *serviret. Vis perfectus esse? ecce modum.*

Ora & pro me, ut ità omne imperfectum meum abjiciam, ut nihil sit in me, quod Divinæ Majestati displiceat, & me morientem ab ejus amplexu remorari possit. Hoc idem, &c.

II. SEPTEMBRIS.

Sanctus ANTONIUS, *sacræ à puero virginitatis amans, & Martyrii sitiens. Ejus caput in undas abjectum Angeli naviculâ exceperunt. Talibus Angeli ministrant.*

Ora JESUM & MARIAM, ut boni Angeli miserum hoc meum, & (nisì DEUS protexerit) damnandum caput, custodiant: & in horrendo mortis periculo ad æternam securitatem deducant. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

III.

III. SEPTEMBRIS.

Sanctus ALBERTUS *Confessor, olim auro Cœlum vendidit: tempestate doctus, quàm vicinus inferno esset, in ipso portu, ex voto opum sponte inter pauperes naufragium fecit. Merge opes, nè te mergant.*

Impetra mihi à DEO illam gratiam, ut animum ab opibus perfectè abstraham: nè in portu æternitatis mihi sint oneri, quod me in barathrum infernale demergat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

IV. SEPTEMBRIS.

Sancta ROSA *Virgo ut contra procaces manus suum florem tueretur, à primis annis carnem asperiatibus armavit. Quo quia placuit* DEO, *ei MARIA JESUM ostendit saucium. Hoc munus est Cœli.*

Ora pro me JESUM Crucifixum & MARIAM Dolorosam, ut cordi meo profundè imprimatur crucifixus JESUS, utquè sigillo illo signatus, quasi ipsius vivam, & illi conformis emoriar. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

V. SEPTEMBRIS.

Sanctus EUDOXIUS *lictoribus mensæ adhibitis, se ipsum Tyranno stitit; in tormentis oravit, ut omnes qui suum patrocinium implorarent, audiret DEUS. An non hoc est DEUM proximum, & se amare?*

Tuum ego nunc patrocinium imploro: ora pro me apud DEUM, ut ex hac vita, quæ militia

eſt, mihi decedenti mors ſit triumphus. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

VI. SEPTEMBRIS.

Sanctus ELEUTHERIUS *ſolâ præſentiâ ſuâ puerum à dæmone liberavit: ſed cùm id à ſe factum recenſeret, denuò puer obſidetur, donec vanam gloriam ipſe eluit. Subtile malum vanæ gloria.*

Repelle à me & vanæ gloriæ nequam ſpiritum: & omnes dæmones in mortis articulo me oppugnaturos compeſce: nè in vita vel in morte in ullam tentationem inducar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

VII. SEPTEMBRIS.

Sanctus STEPHANUS *ut aleas, alioſquè dierum Feſtorum ludos abrogaret, coëgit dæmonem pro concione talem apparere, qualis ea ſuaderet. Comparuit, & nemo non abhorruit. Væ iis, qui his non abſterrentur!*

Ora pro me, ut non ſim ex iis, qui à vitiis, nisì dæmone exhibito, non poſſint avocari: ſed ut ſancta audiens monita, ſecurè tendam ad beatam æternitatem. Hoc idem mihi, &c.

VIII. SEPTEMBRIS.

Hæc dies gaudium annuntiavit & terræ & Cælo, quia hodie ex ſterilibus, ſed feliciſſimis Parentibus, nata eſt MARIA, ex qua deinde natus eſt JESUS. Et eſſe poſſit, qui non amet MARIAM?

O! MARIA parvula Beatiſſima! ad Tuas beatiſ-

beatissimas cunas, ad primum Tuum lectulum supplex provolvor, & rogo, ut me in ultimo meo lectulo morientem non deseras. Adesto mihi tunc & juva, ut in solidissimo erga Te Tuumq; Filium amoris actu animam meam in Tuos amplexus exspirem. Hoc idem, &c.

IX. SEPTEMBRIS.

Sanctus GORGONIUS *Diocletiano à cubiculis, spretis honoribus, martyrii amore se Christianum confessus, dirè cruciatus est. Quid prosunt honores, si DEUS te contemnat?*

Impetra mihi gratiam, ut spretis omnibus, quæ mundus offert, Christum corde, ore, & opere confitens, merear ab eo cognosci & audire: Intra in gaudium Domini Tui. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

X. SEPTEMBRIS.

Sanctus NICOLAUS TOLENTINUS *audito illo Joannis:* Nolite diligere mundum, &c. *inter D. Augustini Eremitas se abscondit. Tantò plus diligeris à Christo, quantò minùs diliges mundum.*

Subveni mihi, ut bonorum MARIÆ filiorum more divinis monitis aurem & animum sequacem præbens, & bonâ vitâ vivam, & bona morte moriar. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XI. SEPTEMBRIS.

Sanctus EUPHROSIUS *humilibus in monasterio culinæ laboribus libenter occupatus, ad excelsum sanctitatis apicem pervenit. Respicit humiles DEUS.*

Impetra

Impetra mihi veram illam & ad feliciter moriendum necessariam humilitatem, nè superbo mihi resistat DEUS, sed humili mihi morienti det gratiam, & gloriam postea æternùm viventi. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XII. SEPTEMBRIS.

Sanctus GUIDO, *puer adhuc, nunquam lætior, quàm cùm preces DEO, aut pauperi stipem dedisset. Errata etiam minima crebra confessione & multis lachrymis eluit. Hæc tu dedecori ducis?*

Ora pro me, ut vestigiis Tuis insistam, & si DEUM offendi, sanctè doleam, ut moriturus audiam vocem, quam Tu audisti: *Veniat dilectus noster ad coronam jucunditatis.* Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIII. SEPTEMBRIS.

Sanctus MAURILIUS *humilitate & animarum zelo insignis, moriturus adstantes hortatus;* Perpenderent animas suas Christi sanguine redemptas esse. *Tu toties tuam tantillo vendis.*

Impetra mihi à JESU, ut pretiosam animam meam ità curem in vita, ut moriens illi reddam, qui eam redemit. Hoc idem mihi, &c.

XIV. SEPTEMBRIS.

Christi Domini Crucem Heraclius Imperator non nisì abjecto Regio cultu & nudipes, referri potuit illuc ubi priùs steterat. Etiam Crucem suam DEUS superbis non indulget.

Sit mihi, obsecro, humillime JESU, &

viventi

viventi & morienti pretiosa humilitas tanquam certissima felicitatis tessera; ut dum me humilio in terris, per Crucem Tuam exalter usquè in Cœlum Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XV. SEPTEMBRIS.

Sanctus NICOMEDES, *sacrum dum Martyris corpus sepelit, capitur: & jussu Diis sacrificare, negat se alii, quàm DEO Cœli sacrificare posse. Cave DEO subtrahas, quod DEO debes.*

Assiste mihi, ut per totam vitam semper, quod DEO meo debeo, tribuam; ut & animam meam multis ipsi debitam, moriens in manùs ejus tradam. Hoc idem mihi, &c.

XVI. SEPTEMBRIS.

Sancta EUPHEMIA *multis ad Christum conversis, inter tormenta & feras illæsa fuit: donec cæteris pedes labentibus, orans unius ferræ morsu obiit. Nec citiùs, nec seriùs quis moritur, quàm DEUS velit.*

Ora pro me, ut nunquam nisì ex DEI mei nutu vivam; sic spero, fiet, ut etiam non moriar, nisì ex DEI nutu, hoc est sanctè.

Itèm Sancta LUDMILLA *Vidua & Martyr, Slaviboris Comitis Pagani Filia, Borziwogio Bòëmorum Principi gentili nupta, ingenti DEI beneficio D. Methudium sortita est Christianæ fidei Magìstrum. Exinde continuis lachrymis pristinæ Idolatriæ veniam precabatur. Adeò charitate in egenos arsit, ut mater pauperum, pes claudorum, oculus cæcorum, orphanorum ac viduarum*

rum pia consolatrix diceretur adhuc in terris. Quantò magis in Cœlis?

Succurre, quæso, Sancta Martyr LUDMILLA, huic pauperi & pupillæ animæ meæ; extremam meritorum in me inopiam ac nuditatem Tuæ charitatis pallio contege; ut sicuti pauperes Te Matrem agnovêre in terris, Patronam ego experiar in Cœlis. Hoc idem mihi, &c.

XVII. SEPTEMBRIS.

Hodie, biennio ante mortem Sancto FRANCISCO *Seraphinus crucifixus quinque Sanctissimi Christi Stigmata impressit. Putas meliora sunt mundi oscula, an Christi Vulnera? elige.*

Sine, Seraphice Pater, Tibi JESU Stigmata in corpore portanti molestus sim, & rogem, ut me accendas, quò cognoscam, mihi viventi & morienti meliora esse JESU diligentis Vulnera, quàm mundi blandientis oscula. Tu contra hæc me in vita & morte protege. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVIII. SEPTEMBRIS.

Sanctus FERREOLUS *solutis divina vi catenis Rhodanum succollantibus Angelis tranavit. Retractus capite plectitur. Fidelibus DEI servis omnia serviunt.*

Ora cum Angelis Tuis pro me, ut vincula, quæ me in terris tenent, felix exuam, & rapacem mortis fluvium succollantibus Angelis transmittam, in æterno portu futurus æternùm felix. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIX.

XIX. SEPTEMBRIS.

Sanctus JANUARIUS *inter flammas cum Angelis cecinit; blandientibus ei feris, gladiô percussus est; concretus ejus sanguis in capitis conspectu positus, ebullit. DEO ferventer servi, & nihil time.*

O! bulliat sanguis Tuus apud DEUM pro me, tum vel maximè, quando meus hic sanguis mortuali tempore torpescet in venis, & impetra mihi ferventia animi amantis suspiria, inter quæ exspirem. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XX. SEPTEMBRIS.

Sanctus EUSTACHIUS *Christi Crucifixi intrà cervi cornua invitatu, fidem amplexus est, eàmq; tam in exilio, conjugis, filiorumq; perditione, quàm inter victorias & triumphos constanter tenuit. Tu quàm leviter perdis!*

Doce me obedire JESU Christo ad bona vocanti, ut sicut ad fontem cervus, ità desideret anima mea ad DEUM. Assiste mihi nunc & in hora mortis, ut in fide nunquam vacillem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXI. SEPTEMBRIS.

Sanctus MATHÆUS, *Publicanus ad unam Christi vocem, relictis omnibus, Apostolus factus. Dum fidem Parthis & Æthiopibus attulit, securi percussus est. Pudeat, promptiùs nos dæmonem audire!*

Intercede pro me, ut semper citò, & ferventer JESU mihi loquenti obediam. Ora verò, ut

ut ità mihi loquatur JESUS, ut simul det mihi gratiam obediendi, & morte obedientium moriendi. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXII. SEPTEMBRIS.

Sanctus MAURITIUS *Thebeæ Legionis Princeps, occiso decimo quoq; pro Christo, author fuit, ut omnes, hoc est, 6666. pro eo occumberent. Nunquam gloriosiùs hæc Legio vicit.*

O! Sancti Milites, gloriosi Martyres! adeste mihi, cùm militiæ meæ finem moriendo imponam. Orate & clamate tunc pro me ad omnia muto, ut me, licèt meritis meis bona morte indignum, tamen propter JESU & MARIÆ merita, Vestra societate dignetur. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII. SEPTEMBRIS.

Sancta THECLA *à S. Paulo in vinculis conversa, Christo nupsit: non sat tutam se videns inter homines, fugit, & vicit. Fugiam & ego pernitiosa hominum consortia!*

Adesto mihi Sancta Virgo, in hora mortis, & protege me, nè fera pessima animam meam devoret; sed duc me Tecum in Paradisum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIV. SEPTEMBRIS.

Sanctus GERARDUS *Hungaros Christi & MARIÆ cultum docuit. Nihil negavit, quod interposito MARIÆ Nomine rogabatur. Quid talis non impetrat à MARIA?*

Ora pro me, ut & ego alios ad MARIAM

trahamn,

traham, & me totum, vitam & mortem meam ejus amori consecrem, ut post mortem me ipsam suam suum in Cœlum deducat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXV. SEPTEMBRIS.

Sanctus PUER, *quod audierat ab Angelis cantari:* Sanctus DEUS, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis, miserere nobis, *docuit suos: & quievit à terræ motu Constantinopolis. Disce DEUM placare ab Angelis.*

Doce me placare DEUM, & maximè illâ horâ, quæ ultima erit, mecum clama: *Sancte DEUS*, da sanctè vivere in timore Tuo! *Sancte Fortis*, da fortiter mori in amore Tuo! *Sancte Immortalis*, da morienti sanctam immortalitatem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVI. SEPTEMBRIS.

Sancta JUSTINA *legem Christi clàm docta, parentes eandem docuit. Impuras faces, à mago accensas, signo Crucis extinxit, quo & ipsum convertit. Disce vim Crucis.*

Impetra mihi, ut multos doceam viam salutis; & nè ab ea aberem, adesto mihi in omni tentatione, maximè cum migrabit anima ex hac vita: & sanctæ Crucis signum tentatori objice, ut nocere non possit. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXVII. SEPTEMBRIS.

Sanctus ELZEARIUS *Comes à MARIA doctus in aula sua neminem nisi probum passus est.*

Passioni Christi tam devotus, ut in latere ejus se diceret habitare. An & tu Magistram habes MARIAM? mores tuos inspice.

Ora MARIAM, ut à Christo, quod me docet, sanctè vivere & mori mihi discendi gratiam impetret: & ut vivus in latere JESU habitem, & moriens in illud spiritum meum emittam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXVIII. SEPTEMBRIS.

Sanctus WENCESLAUS *Dux ab avia Ludmilla piè educatus, nudis pedibus hieme Templa adibat, Sacerdoti ministrabat, omnia oratione inchoabat Tanti est à piis educari!*

Exora mihi gratiam, educatoribus (qui boni mihi non desunt) obsequendi, ut sic recto tramite tendam ad portum felicissimæ æternitatis, quam tu inhabitas. Hoc idem mihi, &c.

XXIX. SEPTEMBRIS.

Sanctus MICHAEL *Archangelus, Angelorum bonorum Dux, malorum domitor: cui DEUS tradidit Animas Sanctorum, ut ducat in Paradisum Hunc, si sapis, stude habere Patronum*

Nè me desere morientem, Sancte MICHAEL, & cum dæmone luctantem, & suscipe benignus animam meam migrantem Ora pro me, ut Te Duce & Angelo meo ità vivam & moriar, ut hæreditatem capiam salutis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXX. SEPTEMBRIS.

Sanctus HIERONYMUS *flens dicebat: sive*

ſive edam, ſive bibam, ſive aliud agam, ſemper videtur mihi ſonare tuba: Surgite mortui, venite ad judicium. *Sancti timent judicari, & tu rides?*

Ora pro me, ut & ego, dum vivo à judiciis divinis timeam, & ità me parem ad ſecurum tranſitum ex vita, ut demum inter ſanctas ad crucifixum JESUM aſpirationes exſpirem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

OCTOBER.

I. OCTOBRIS.

SAnctus REMIGIUS *Epiſcopus Rhemenſis Clodoveum Regem & cum eo Francos ad Chriſti baptiſmum & fidem doctrinâ & miraculis primus perduxit; & utroq; Eccleſiæ ſuæ & Ovibus per continuos plùs quàm ſeptuaginta annos profuit & præfuit. O! felicem & fidelem animarum Paſtorem.*

O! Sancte Epiſcope, animarum Paſtor Zelantiſſime! habe curam & meæ, eamq; ſacro baptiſmi lavacro jam lotam, ab omni peccati ſorde mundam ſerva, & ſub exitum ex hac vita immaculatam Cœleſti Paſtori præſenta, divinis ejus humeris inter felicem Electorum gregem deferendam. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

II. OCTOBRIS.

Sanctus LEODEGARIUS *cruce è templo*

plo armatus, hostibus suis obviàm ivit: nec ullis tormentis còërceri potuit, quin de DEO loqueretur. Non confunditur, qui in cruce spem ponit.

Ora pro me, ut non nisi in cruce sperem. Hæc mea sit armatura contra hostes, in ultimo maximè conflictu, & in adversis solatium, ut securè transeam ad æternos triumphos. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

III. OCTOBRIS.

Sanctus JOANNES CHUZUBITA *humilitate eximius, in adversis non aliud solitus dicere, quàm:* Si DEUS hæc pati potest, quidnî ego velim? *Et quis tu, qui nolis?*

Doce me agnoscere meum nihilum, ut verè sim parvus in oculis meis, & in omnibus me DEI dispositioni accommodem, nè me tanquam sibi contrarium à Cœli porta repellat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

IV. OCTOBRIS.

Sanctus FRANCISCUS SERAPHICUS *simul pauperrimus & ditissimus; vis nosse quomodo? relictis omnibus possedit DEUM, & in DEO omnia. Non potes omnia dimittere? saltèm cor non affige.*

Agnoscam hanc veritatem, quam docuisti, *DEUS meus & omnia:* ut maturè ab omnibus, quæ DEUS non sunt, cor abstraham, & nihil sit, quod in morte me impediat, quò minùs tendam ad DEUM, qui est omnibus omnia. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

V. OCTOBRIS.

Sanctus MEINULPHUS, *audito vulpes foveas habent, Filius hominis non habet, ubi caput ponat; illico Christo locum in corde dedit, & Templum struxit. Quoties eadem audis, & animum claudis?*

Impetra mihi sacris eloquiis tam promptas aures & cereum cor, ut me meáq; DEO plenè transcribam: non enim meam morte recipiet, nisì eum in vita recepero in cor meum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VI. OCTOBRIS.

Sanctus BRUNO, *auditô, probatæ aliàs vitæ virô, post mortem se justô DEI judiciô accusatum, judicatum, & condemnatum asserente, elongavit fugiens, & mansit in solitudine. Quisquis sapis, time judicia DEI.*

Imprime mihi magna illa æternitatis lumina, & tepidam voluntatem meam incende; ut solidè perpensis DEI judiciis, me ità parem ut misericordissimô DEI judiciô adjudicer Cœlo. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VII. OCTOBRIS

Hac die Annô 1571. *ad Insulas Echinadas ope Deiparæ, Turcas Duce Joanne Austrio, Pius V. cum Hispanis & Venetis vicit; cæsa barbarorum* 30000. *Christiani liberati* 3486. *naves captæ* 190. *flammis & aquis haustæ* 80 *tormenta hosti erepta majora* 119 *minora* 256. *Hæc scilicet Virgo Lunam habet sub pedibus.*

Invictiss.

Invictissima Virgo! nos etiam hodie juva, & crescentem semper Lunam Pedibus Tuis conterere. Christianis unum cor & animam unam impetra, ut cum illis faciat potentiam suam DEUS. Mihi verò nunc, & in ultimo mortis conflictu sis cum JESU Tuo certanti tessera, ut vincam: & Tu mihi sis MARIA de Victoria in terris, & MARIA de triumpho in Cœlis. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

VIII. OCTOBRIS.

Sancta BRIGITTA *Sueca, ex quo JESUM saucium vidit, nunquam sinè lacbrymis de ejus passione meminit, & totâ vitâ pauperibus infirmis servivit. O! vel semel sic ego Christi Passionem recolam.*

Ora pro me, ut sic Crucifixum & MARIAM amem, ut eorum amore pauperibus & infirmis libenter me impendam. Indè spero JESUM in morte mihi adfuturum, qui quod uni ex his minimis fit, sibi factum æstimat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

IX. OCTOBRIS.

Sanctus DIONYSIUS *à S. Paulo conversus, in Gallia multa pro Christo fecit, & tulit.* 110. *annorum senex capite plexus, quod ipse* 200. *passibus ad tumulum tulit. Vis scire quantùm Christum ames? quantùm pro eo pateris.*

Impetra mihi id, quod optimum est: ut dum vivo, caput meum in manibus portem; DEO & superioribus illud subjiciendo, ut demum in

morte

morte illud in sinum JESU mei deponam. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

X. OCTOBRIS.

Sanctus THEOPHILUS *decennis ex Angelo suo audiit: tolle crucem tuam; & sequere me. Mox etiam inconsultis Parentibus paruit. Væ tibi, qui Patrem carnalem plùs audis, quàm Cœlestem!*

Quam exemplô docuisti, etiam precibus Tuis mihi imprime divinis inspirationibus parendi promptitudinem; nè in tremendo die cum repulsa audiam: *vocavi, & renuisti.*

Itèm. Sanctus FRANCISCUS BORGIAS *Gandiæ Dux, viso Isabelle Imperatricis nuper formosissimæ putrescente cadavere, in JESU Societatem se abdidit. Corpus ùt servum habuit: singulis horis ad mortem se paravit; viso in MARIÆ sinu JESULO dicebat:* mihi Virgo hoc onus gestat, mihi lac Matris, & Filii sanguis bullit. *O! omnes hoc agnoscant!*

Impetra mihi Sancte FRANCISCE, ut bulliat etiam pro me nunc & in hora mortis peroret lac Matris, & Filii sanguis; ut lacte candida, & sanguine purpurea mea anima, ad fontes ipsos, JESUM & MARIAM abeat. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag. 1.

XI. OCTOBRIS.

Sanctus BRUNO *Archi-Episcopus Coloniensis, visis sub divinis Henrici fratris, & Cunonis affinis sui fabulis & levitate, & palàm eos arguit,*

arguit, *dicens*, familiaritatem hanc fore seme magnæ inimicitiæ; *quod & factum. An non & hodie id pluribus dici posset?*

Ora pro me, ut nunquam ego tam perniciosam sub divinis cum homine familiaritatem contraham, quæ mihi possit facere æternam cum DEO inimicitiam: sed potiùs sim cum DEO in templis & ubiq; familiaris, nunc & in æternum. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XII. OCTOBRIS.

Sanctus WILFRIDUS *patientiâ insignis quadriennium vitæ*, MARIÆ *ope impetratum præparationi ad mortem impendit. Tu si sapis, totam vitam huic impende.*

Intercede pro me cum MARIA apud JESUM, ut det mihi tempus & voluntatem præparandi me ad sanctam mortem, ut ità mihi vitam proteget vel abrumpat, prout scit mihi prodesse ad æternitatem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIII. OCTOBRIS.

Sanctus VENANTIUS *Abbas audiens Angelos canentes* Sanctus, *se suosquè ad* DEUM *laudandum accendit dicens:* væ nobis inertibus! *Putas hoc væ nos evasuros?*

O! accendat & me ad laudes divinas Cœlestis curia! me verò, ô! Dei amice, juva nunc & in agone mortis, ut non iners, sed fervens vivam; nè post mortem audiam illud tepidorum væ! Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XIV.

XIV. OCTOBRIS.

Sanctus BURCHARDUS *primus Herbipoli Episcopus è tenebris in lucem Franconiam deduxit, eiq; Christi & MARIÆ amorem instillavit; omnibus charus ob zelum & modestiam. O! non sim ego degener filius!*

Excita in me, si tepescat, in JESUM & MARIAM amorem, ut in agone & à Te filius Tuus hoc signo agnoscar, & à JESU & MARIA vicissim merear amari, & æterna beatitudine, quâ jam frueris, donari. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XV. OCTOBRIS.

Sancta TERESIA *Virgo Christo à B. Virgine desponsata, amore ejus vovit semper agere, quod perfectius nôsset: viso semel JESU spinis coronato semper dicebat:* Domine aut pati aut mori. *Quid tu eligeres?*

Impetra mihi, sic DEUM amare, ut eligam nunc, *aut pati aut mori.* Ora pro me, ut eligam semper optima, & adesto cum JESU & MARIA dilectis Tuis agoni meo, ut ab illis tunc assumar inter Electos futurus Tecum in æternum. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XVI. OCTOBRIS.

Sanctus GALLUS, *nè carnem hostem sentiret; triduanis jejuniis, ciliciis, & catenis domuit; hinc quæ voluit, impetravit à DEO. Disce, quereris, à DEO nihil te impetrare.*

Impetra mihi, ut domem carnem meam, &

elevem ad Cœlum, nè illa indomita è Cœlo abstrahat blandientem, & conniventem nimium animam meam in infernum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c pag. 1.

XVII. OCTOBRIS.

Sanctus ANDREAS *Sanctorum imagines per multa tormenta propugnavit, in quibus non aliud dicebat, quàm:* Domine serva, Domine dirige! *Si pro DEO pugnas, non metue.*

Dic pro me vivente & moriente: *Domine serva, Domine dirige!* & doce me Sanctorum imagines colere, ut adsint mihi in vita & morte, & me servent & dirigant in viam pacis æternæ. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVIII. OCTOBRIS.

Sanctus LUCAS *Evangelista primus pictam sua manu MARIÆ effigiem posteritati reliquit, quæ etiam hodie miraculis Romæ claret. O! si & nos MARIÆ effigiem in moribus exprimamus.*

Impetra mihi à JESU & MARIA felicem coronidem omnium gratiarum, hoc est, felicem mortem; ut MARIAM non jam à Te pictam, sed de facie ad faciem videam in Templo sancto gloriæ in æternum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIX. OCTOBRIS.

Sanctus ETHBINUS *adolescens ad illud Christi:* qui non renunciat omnibus, non potest meus esse discipulus, *omnes opes egenis seque*

que DEO dedit. O! nos indociles! quàm paucè hanc Philosophiam capimus.

Impetra mihi hanc docilitatem & in miseros charitatem, ut quando cum morte luctabor, à Christo agnoscar discipulus, & ab ipso excipiar in Cœlo. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XX. OCTOBRIS.

Sancta FIDES *Virgo pro Christo super candentem craticulam lento igne assata, constantiâ suâ Capræsium ad martyrium pellexit. Pudeat te Virgine patientiâ vinci!*

Offer DEO pro ultimo lectulo meo aliquid è meritis igneæ Tuæ craticulæ, & roga, mihi morienti rorem æternæ suæ benedictionis infundat. Hoc idem mihi, &c *pag.* 1.

XXI. OCTOBRIS.

Sancta URSULA *ad sponsum suum itura, adversô ventô Coloniam ejicitur, ubi ab Hunnis cum undecim millibus Virginum pro fide & virginitate sagittis confossa, agonizantium est Patrona. Invoca, & experire.*

Sancta URSULA cum sodalibus, advola ad agonem meum, nec permitte me perire. Valete me morientem, & facta quasi contra hostes meos manu, me in illa, in qua estis, æternitate collocate. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXII. OCTOBRIS.

Sanctus JOANNES *Nomine* BONUS, *ed ex divitiis malus: ex matris precibus & morbo*

bo ſapuit, & opes abjecit, ut DEUM *tene & eſſet bonus. Tales bonos Chriſtus amat.*

Ora pro me Chriſtum, qui Te ad Vulner ſuorum oſcula invitavit, me ut doceat ama & odiſſe, quod ille amat & odit; & ut mi enti mihi è ſuis ſacris vulneribus propinet tam, in qua nemo eſt niſi bonus. Hoc id mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII. OCTOBRIS.

Sanctus MACARIUS *poſt vitam diu ſterè actam, incautus fœminam tugurio reci & in impuram cogitationem dejicitur; culp multis lachrymis & jejuniis eluit. Vis non la ô! ſemper cave.*

Impetra mihi, ut nunquam non cautè amb lem, aut ſi incautè prolapſus ſum, illico reſu gam: ut cum Angelis ſuper pœnitente gaude tibus æternùm gaudeam. Hoc idem mihi im petrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIV. OCTOBRIS.

Beatus JOANNES *Angelus,* MARI *ſervus, carnem vitæ auſteritate totam prodi ut in morte nîl niſi cutem & oſſa relinquer Hunc prodigum imiteris, licet.*

Ora pro me, ut MARIÆ ſerviens, & c nem ſpiritui ſubigam, & bene vivam; quò ne moriar, & Tecum inter MARIÆ ſer merear in Cœlis numerari. Hoc idem m impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXV

XXV. OCTOBRIS.

Sanctus CHRYSANTHUS *paucis ex Evangelio lectis, Christo manus dedit; & contra patris blanditias, mulierum insidias, Tyranni sævitiem stetit, & vicit. Si stare nôsti pro DEO, stabit DEUS propter te.*

Aperi mihi castissimis Tuis precibus cor ad legenda & agenda, quæ me legere & agere vult DEUS; ut morientem me lux sancta adducat in montem sanctum DEI. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXVI. OCTOBRIS.

Sanctus FULCO *è pauperrimo factus Episcopus; hujus rei memor, quotidie quinque Studiosos pauperes cum suo Magistro mensæ adhibuit. Honores mutant mores; quàm pulchrum si in meliores!*

Revoca mihi frequenter in memoriam, quis qualisquè fuerim, nè elatus ruam, unde non tam facilè resurgam. Et ut per pauperum manus mihi securam semitam sternam ad vitam æternam. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVII. OCTOBRIS.

Sanctus ELESBAAN *Rex, ter invocato S. Gabriele hostem vicit; victor positis regiis vestibus, privatâ & asperâ vitâ ad mortem se paravit. Quidni Cœlum applaudat?*

Invoca pro me GABRIELEM, ut mihi morienti adsit, qui (frigidè licèt) toties ejus ad MARIAM orationem perorans petii, ut illa

me nunc & in hora mortis meæ tueatur. Hoc idem mihi impetrate, &c pag. 1.

XXVIII. OCTOBRIS.

Sancti SIMON & JUDAS *Apostoli, Ægypto ille, hic Mesopotamiæ, dein simul Persidi Christum prædicantes. vitâ & morte Christum glorificârunt. Si sic Christus glorificatur, certè tu non honoras.*

Orate pro me, ut in vita omnia dirigam ad DEI, & majorem quidem gloriam, ac deniq; morte in DEI gratia obitâ, DEUM glorificem, ut ab ipso doner æternâ gloriâ. Hoc idem mihi impetrate, &c. pag 1

XXIX. OCTOBRIS.

Sancta ERMELINDIS *Virgo, duodecim annorum sensit corrivales DEUM & mundum: elegit pulcherrimum, Christum: & nè penderet, mundo exivit. Putas, sapit, qui mundum eligit!*

Impetra mihi, ut agnoscam quantò Christus sit mundo melior, nè præ Christo mundum, qui totus in maligno positus est, eligam, quo cum impossibile est salvari. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag 1.

XXX. OCTOBRIS.

Sanctus ZENOBIUS *aditam hæreditatem brevi inter pauperes dilapidavit. pro qua reddidit ei DEUS, ut morbos solo tactu curaret. Date & dabitur vobis.*

Ora pro me, ut hanc artem feliciter discam, quâ DEUM mihi faciam tam liberalem amicum:

um: ut, ubi ab omnibus deſerar, reddat mihi hæreditatem æternam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXXI. OCTOBRIS.

Sanctus WOLFFGANGUS *Epiſcopus per vitam ſuam, ingenium ſuum gratis juventuti ad DEI gloriam excolendæ impendit. In lubrico ſtat juventus; obſequium præſtat DEO, ſi dirigis.*

Adjuva me, ut juventutem & meam & aliorum eò dirigam, ubi omnia momenta vitæ ſanctis DEI obſequiis impendantur; ut in hora mortis ſanctam æternitatem feliciter inchoëmus. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

NOVEMBER.

I. NOVEMBRIS.

HOdie in Eccleſia Feſtus dies agitur in honorem Omnium Sanctorum. O! ſi tu ſis aliquando in numero eorum!

O! Vos Omnes Sancti, qui ulli morientium ſpem unquam tuliſtis; ferte & mihi: & tu imprimis Auguſtiſſima Omnium Sanctorum Regina, & vos omnes, qui ſingulari cordis affectu MARIAM hìc amâſtis quìq; ſingulare illius auxilium in agone experti eſtis! ô! amem & ego illam ità, ut etiam experiar! offerte pro me Veſtra merita, & impetrate, ut unà Vobiſcum æternis amoribus amem JESUM & MARIAM.

RIAM. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

II. NOVEMBRIS.

Hodie per Ecclesiam fit Commemoratio Animarum in Purgatorio, ut precibus fidelium juventur. Multæ sunt, quæ ab omnibus sunt desertissimæ, & multæ, quas B. V. vellet juvari: multæ quæ diu jam opem tuam exspectarunt. Quod tibi voles fieri aliquando, fac modò illis.

O! Sancti Custodes Angeli Animarum, quæ in Purgatorio igne excipiantur, excitate me & suggerite mihi, ut indefesso studio animas illas juvem, quæ amicæ DEI sunt, sed adhuc à facie DEI exules, quæq; seipsas juvare non possunt; ut & ipsæ, & vos earum Custodes Angeli, & Sancti Patroni Cœlites, & potissimùm MARIA earum omnium Advocata maxima, mihi agonizanti, & illic maculas eluenti adsint; nè prius cessent pro me DEUM orare, quàm sim cum illis in æternitate sancta. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti. &c. pag. 1.

III. NOVEMBRIS.

Sancta WENEFRIDA *Virgo Christo nupta, in Templo quô fugerat, à Lenone pro virginitate & fide obtruncata est. Quàm malè tuta virginitas apud alterum sexum! vix in Templo.*

Impetra mihi, ut fortiter pro animæ salute pugnem, dum vivo, & dum moriar: & coronam accipiam æternitatis, legitimè certantibus paratam. Hoc idem mihi, &c. pag. 1.

IV.

IV. NOVEMBRIS.

Sanctus CAROLUS BORROMÆUS *Ecclesiæ Romanæ Cardinalis, reditus ecclesiasticos non nisì in pauperum usum convertit; in peste populo suo ipse Sacramenta ministravit nudipes Mediolani. Verè bonus Pastor.*

Sancte CAROLE, obsecro, ut sis etiam Pastor animæ meæ: ideo rogo, quæ à DEO & MARIA per Angelum Tuum pro felici morte petisti, mihi de morte solicito benignus impetra, mèq; inter illos repone, quos Cœlo lucratus es. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

V. NOVEMBRIS.

Sanctus EMERICUS, *S. Stephani Regis Hungariæ Filius, audiens Cœlo nil gratius esse virginitate, suam DEO dicavit, & sponsæ persuasit. O! quàm erunt Cœlo ingrati, qui eam tam leviter prodigunt!*

Ora pro me unà cum B. V. à te in Matrem electa, ut semper id agam, quod Superis maximè placere cognovero. ut citò post mortem unà Tecum DEUM laudare incipiam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VI. NOVEMBRIS.

Sanctus LEONARDUS *tam charus erat DEO, ut precibus suis reos è carceribus, solutis sponte vinculis, educeret. Disce orare, & poteris quid vis apud DEUM.*

Ecce mortis (utinam non æternæ!) rea hæc anima mea, carcere hoc per mortem egredi hor-

ret, quia æternos timet. Elice ex oculis meis lachrymas, quibus vincula peccatorum rumpam, ut sim æternùm liber. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VII. NOVEMBRIS.

Sanctus ENGELBERTUS *Archi Episcopus Coloniensis de Friderici cognati insidiis monitus, noluit eum prodere: & moriens pro ipso, à quo pro Ecclesia 47. vulneribus sauciatus fuerat, à DEO sanctam mortem exoravit. Hoc est verum Christi esse discipulum.*

Doce me obsecro hanc charitatem, ut agnoscar verus Christi discipulus in vita & morte. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VIII. NOVEMBRIS.

Sanctus GODEFRIDUS *Episcopus, quotidie tredecim pauperes, abluens priùs eorum pedes, cibavit, hyeme suis nudos vestibus texit. Reis subditis supplex factus, ut resipiscerent. Talis in te erit DEUS, qualis tu in alios.*

Ora pro me ad DEUM, ad parcendum, quàm ad puniendum proniorem; ut me ceu filium benigne arguat viventem, nè æterno furore corripiat morientem. Hoc idem mihi mipetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

IX. NOVEMBRIS.

Sanctus THEODORUS *Miles, accensô Matris Deorum fanô, dirè fame, & ungulis cruciatus, psallens in igne exspirat. Lætè moritur, qui bene vixit.*

O! quam

O! quam felix & ego hinc migrabo, si Tecum & cum Angelis migrem! impetra mihi, ut bene vivam, ut mortem habeam lætam, quâ DEO æternùm benedicam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

X. NOVEMBRIS.

Sancta THEOCTISTA *Virgo, è captivitate Arabica, ut pudorem servaret, fugit & in sylvis 35. annos non nisì ex herbis vixit. Non expugnatur pudor, nisi proditor sit animus.*

Intercede pro hac anima mea miseranda, quæ tam languidè se parat ad æternitatem, & impetra mihi è Tuis ardoribus unam constantem scintillam, quæ mihi semper in corde vivat usq; ad mortem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XI. NOVEMBRIS.

Sanctus MARTINUS, *adhuc Neophytus in paupere Christum vestivit. Moriturus dæmonem videns dicebat:* Nihil in me, funeste, reperies! *O! me felicem, si hoc dicere possim?*

Interpone pro me preces Tuas, ut dum vivo, funestum illum vincere assuescam; nè quid in morte bestia illa cruenta reperiat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XII. NOVEMBRIS.

Sanctus DIDACUS, *idiota MARIÆ festa jejuniis colebat, & crucis amantissimus, exspirans arrepta cruce dixit:* Dulce lignum *&c. Ecce surgunt indocti, & doctis Cœlum eripiunt!*

Interveni pro me, ut MARIAM & crucem

ſic ſemper amem, ut dulce lignum, dulces clavi, & Crucis dulciſſimum pondus JESUS dulcem mihi morienti det æternitatem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XIII. NOVEMBRIS.

Sanctus HOMOBONUS *& conjunx & mercator ſanctus fuit; quibus artibus? conſtanti pietate in JESUM & MARIAM, & liberalitate in pauperes. In Templo ad Crucifixi Pedes exſpiravit. O! ſic vivam, ut ſic moriar!*

Ora pro me, ut tam bonus homo fiam, & ceu JESU & MARIÆ ſervus, in illorum amoribus exſpirem.

Item. Beatus STANISLAUS KOSTKA *DEIparam ſic amavit, ut cum ſociis certaret, quis magis eam honoraret, hinc ægro illa Jeſulum in ſinum dedit, & morbô fugatô Societatem JESU juſſit ingredi. Divæ Barbaræ devotus obtinuit, ut ab Angelis in morbo Euchariſtiâ reficeretur. Societatem JESU ut expeditiùs adiret, fugit patrem morantem: ut impetraret. Dilingæ in Convictu mediaſtinum egit; adhuc Novitius meritorum plenus, inter Sanctiſſima Nomina abiit in Cœlum. Nunquam fruſtrà coluntur Cœlites.*

Adeſto mihi cum JESU & MARIA, Barbara, morientium Patrona, & ſanctis Angelis, & his Tuis auxiliis ultimum mei morientis lectulum bea; ut in Tuo & illorum ſinu ſpiritum meum felix deponam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIV. NOVEMBRIS.

Beatus ALBERTUS, *Sancti Thomæ Magister, audito MARIÆ Magistræ suæ Nomine, dulcissimè flevit; ultimò vitæ trienniô omnis scientiæ repentè oblitus, quotidie tumulum suum est contemplatus. Putas talis imparatus morietur?*

Hoc est, quod desidero, Beate ALBERTE, Magistram sanctè vivendi & moriendi habere MARIAM: adjuva me, ut nunc sanctè vivam, & postea sanctè moriar. Hoc idem mihi, &c.

XV. NOVEMBRIS.

Sanctus LEOPOLDUS *Austriæ Marchio, in egenos, & ad fundanda DEO Templa liberalis, sibi thesauros condidit in Cœlo. In æternitate nè egeas, jam provide.*

Impetra mihi, ut semper sim liberalis in pauperes, & quæ DEI sunt: ut ità vicissim DEUM in morte ac æternitate mea erga me experiar liberalem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XVI. NOVEMBRIS.

Sanctus EDMUNDUS *malos socios fugiens, JESUM habuit Socium, à quo doctus contra repentinam mortem vesperi Cruce frontem signare, & dicere:* JESUS Nazarenus Rex Judæorum. *Fuge, qui JESUM fugant, & habebis socium JESUM.*

Ora pro me JESUM Tuum & MARIAM, nè me improvisa morte mori permittant: sed faciant, ut sim semper paratus mori. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XVII. NOVEMBRIS.

Sanctus GREGORIUS, *Thaumaturgus dictus, ob miracula. Maximum ipse fuit, quòd MARIAM & S. Joannem Magistros in fidei mysteriis habuerit. Nec mirum, virgo enim fuit.*

Ora pro me Magistros Tuos MARIAM & Joannem, ut me docilem redant scientiæ æternitatis. Ora DEUM, ut in vita & morte mirabili sua ope me protegant, & salvent. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XVIII. NOVEMBRIS.

Sanctus ODO *plùs vanis Poëtis, quàm piis libellis tempus impendens, expertus est Cœlum sibi iratum; monitus destitit. Putas, Cœlum non irascitur, si volvas lasciva?*

Adesto mihi & oranti & studenti, & quidvis aliud agenti, præcipuè morienti, ut avertas à me, quidquid venenô suô me tradere potest æternæ morti. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIX. NOVEMBRIS.

Sancta ELISABETHA *Regina, visâ Crucifixi effigie, omnem ornatum abjecit, & extructô Xenodochiô, 900. pauperibus serviebat; mortuo conjuge, arce pulsa, fortiter tulit. Tu non possis, quod fœmina?*

Accende me illo, quo JESUM cruce amâsti, igne Cœlesti. Feliciter moriar, si ità succensus extinguar, neq; ardebo igne infelicis æternitatis. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XX. NOVEMBRIS.

Sanctus DASIUS *Juvenis gratiosissimus, maluit Christo pro fide victima fieri, quàm Saturno, more patrio, deliciis saginatus, immolari. O! sic vel parentes vel filii sapiant!*

Ora pro me, nè suis me deliciis mundus fami & siti æternæ saginet: sed ut potiùs fame & siti ad suas epulas paret DEUS, & hujus solius vivens & moriens sim victima. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXI. NOVEMBRIS.

Sancti Joachim & Anna Mariam trimulam, longè charissimam, obsequio DEI in Templô dicarunt; ipsa promptè secuta, & sponte sola Templi gradus ascendit. Habent parentes & liberi, quô erubescant.

O! DEO, Angelis & hominibus amabilis parvula MARIA! ego me Tibi, & per Te DEO præsento in servum. Ad Te jam pertinet, ô! Domina, curare, ut ità vivam, ità moriar, sicut decet Tuum servum, & à Te DEO offerendum. Adesto mihi, ô! dulcissima parvula, hodie & totâ vitâ meâ. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

XXII. NOVEMBRIS.

Sancta CÆCILIA *licèt virginitatis suæ singularem haberet Angelum Custodem, tamen ciliciô, jejuniis, oratione, & lectione sacra eam custodivit. Nimirum inter hæc tutissima virginitas.*

Impetra mihi, ô! Sancta Virgo, mortifica-

tionis ſtudium & pete pro me à DEO pro ſanctâ ad mortem præparatione, quod pro te petiſti, ut fiat cor meum immaculatum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIII. NOVEMBRIS.

Sanctus CLEMENS *Pontifex Chieronæ in exilio, 2000 Chriſtianorum, in latomiis aquæ dulcis fontem orans impetravit. Qui rectè novit orare, omnia habet.*

Roga Agnum illum fontis indicem, ut me fonte vitæ, nunc, & morientem ità recreet, ut poſtea torrente voluptatis perpetuæ poter. Hoc idem mihi impetrate, &c *pag.* 1.

XXIV. NOVEMBRIS.

Sanctus CHRISOGONUS *nullis honoribus aut divitiis induci potuit, ut Deos coleret, qui (ùt ajebat) eſſe,ut dæmonum ſimulacra Etiam hodie ſub his eſcis diabolus ſua retia ponit, cave.*

Impetra mihi tam generoſos ſpiritus: ut non quæram alium honorem & divitas, quàm DEO ſervire; cui ſervire in terris, eſt regnare in Cœlis. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXV. NOVEMBRIS.

Sancta CATHARINA *Maximinum ſacrificantem Diis arguit, quinquaginta Philoſophos Chriſto lucrata: ſpretis Imperatoris amoribus per martyrium eos ſecuta eſt. Hoc Chriſtianorum eſt.*

Converte me, ut totus ab iis, quæ DEUS non amat, averſus, totus convertar ad JESUM

SUM

SUM, & ad me morientem sit ejus conversio, quâ mihi æternùm faciem suam ostendat. Hoc idem mihi impetrate, &c pag 1.

XXVI. NOVEMBRIS.

Sanctus SYLVESTER, *viso sodalis sui olim pulcherrimi cadavere, exclamavit mundo valedicens: Hoc speculum meum est; sum, quod hic fuit; brevi ero, quod hic est. Hoc speculum & tu inspice.*

O! Beate Juvenis! objice mihi quotidie hoc speculum, ut agnito quid sum, & quid futurus sim, discam mundum spernere, & totum me ad DEUM convertere. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

XXVII. NOVEMBRIS.

Sanctus JACOBUS *in Isdegerdis gratiam Christum ejurat; sed à matre & conjuge objurgatus, resipuit, & membratim dissectus, sanguine factum obliteravit. Errare humanum est, perseverare diabolicum.*

Impetra mihi, toties DEO infideli, per merita Tua gratiam, ut in lapsu non perseverem, sed per pœnitentiam exsurgam, & usq; ad vitæ finem in bono perseverem. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. pag. 1.

XXVIII NOVEMBRIS.

Sanctus STEPHANUS *Martyr acerrimè pro Sanctorum imaginibus pugnans, exilium primò, d in & mortem tulit. O! sic DEI in nobis imaginem tueamur!*

Ora pro me, ut DEI in me imaginem contra dæmonem, mundum, & carnem ſanctè defendam; ut in illa die DEUS imaginem ſuam cognoſcat, & in ſua recipiat. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXIX. NOVEMBRIS.

Sanctus RADBONUS *Sanctorum vitis velut ſpeculo uſus, ut ſuam componeret: morituro adfuit B. Virgo; quòd ejus in precibus ſemper fuiſſet memor. Nunquid & tu ſic Eam potes facere Patronam?*

Adjuva me, ut ſemper ſim MARIÆ memor, quò & illa ſit memor mei, & ut componam vitam meam ad ſpeculum vitæ & mortis JESU, & Sanctorum, ut mors mea ſit ſpeculum mortis ſanctæ Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXX. NOVEMBRIS.

Sanctus ANDREAS *Apoſtolus in Achaja pro fide cruci affigendus, dixit:* O! bona Crux, diu deſiderata! accipe me ab hominibus, & redde me Magiſtro meo. *Non eſt brevior ad DEUM via, cruce.*

O! crucifixe Crucifixi diſcipule! impetra mihi, ut non fugiam crucem, ſed pretiosè æſtimem. Et ora, ut Chriſti crux ultimam meam crucem ſic reddat efficacem, ut per eam veniam ad gloriam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

DECEM-

DECEMBER.

I. DECEMBRIS.

SAnctus PHILARETUS *rusticus, ob liberalitatem in pauperes, vidit neptem suam Constantini Imperatoris conjugem, se Consulem. Testamentô orbi reliquit, quod ipse fecit: Estote misericordes.*

Adjuva me, ut hoc documentum altè animo imbibam, & si corporali non possum, spirituali eleemosyna pauperibus succuram; ut etiam in morte DEI misericordiam experiar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

II. DECEMBRIS.

Sancta BIBIANA *propter Christum bonis omnibus spoliata, dein ad columnam plumbatis cæsa, obiens triumphavit. Hac morte an tu gloriosiorem nôsti?*

Precibus Tuis me conforta, ut nulla tormenta à fide & Christo me absterreant; sed quidvis libenter patiar, ut vivens & moriens JESU meo fidelis inveniar. Hoc idem, &c. *pag.* 1

III. DECEMBRIS.

Sanctus FRANCISCUS XAVERIUS *Indiarum Apostolus, insatiabilis animarum zelator, laboribus, exemplis, precibus, & miraculis multis hominum millibus felicem æternitatem procuravit. In laboribus & ærumnis dicebat:* Ampliùs, ampliùs Domine! *in solatiis:* satìs est, Domine, satìs est! *Quàm multi hodie sentiunt contrarium?*

O! genu-

O! genuine Sancti Ignatii Fili! lucrare, obsecro, etiam hanc animam meam. Adesto mihi ægro & morienti, qui Mastrillo Tuo & plurimis aliis morientibus adfuisti Commenda me Crucifixo JESU & MARIÆ, ad quos suspirans expirâsti, & impetra mihi sanctum desiderium, multa pro Christo patiendi, donec me ducens ad Cœlum JESUS dicat, satìs est. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, *pag.* 1.

IV. DECEMBRIS.

Sancta BARBARA *Virgo, ab ipso Patre suo pro Christo decollata; á Christo obtinuit, ut sinè Viatico nemo, qui ipsam colet, moriatur. Tantillô tantam gratiam emes.*

Numera me inter clientes Tibi devotos, ut Tuis precibus adjutus non discedam ex hac vita, nisi Corpore & Sanguine Christi munitus, in cujus cibi fortitudine progrediar ad montem DEI. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1

V. DECEMBRIS.

Sanctus SABBAS *Abbas, signô Crucis sævientes flammas extinxit Contra dæmonem ab ipso Christo armatus pugnavit & vicit. Pugna, & DEUS non deerit*

Impetra mihi, obsecro, à JESU, ut nunc & in ultimo meo agone me armet: ut in JESU dæmonem vincam, & victor æternùm vivam. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

VI DECEMBRIS.

Sanctus NICOLAUS *Episcopus quam Infans*

fans

fans jejunii consuetudinem cæpit, ut feriâ quartâ & quintâ semel tantùm, idq; vesperi lac sugeret, totâ vitâ suâ tenuit. Cæpisse à teneris & continuâsse, laudabile est.

Doce me constanter tenere sancta proposita, ut ità ad quævis mortis pericula paratus, morte sancta ad Patriam securè perveniam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VII. DECEMBRIS.

Sanctus AMBROSIUS, *Augustinô conversô*, Te Deum laudamus *fecit*, *& cum eo cecinit; moriturus flentibus aliis dixit:* Mori non timeo, bonum Dominum habemus. *Per nos stat, ut bonum habeamus.*

Ora pro me, ut DEO ferventer in vita serviendo, illum mihi bonum Dominum faciam; ut in fine vitæ nec me vixisse pudeat, nec timeam mori. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

VIII DECEMBRIS.

Sanctissima Virgo ab æterno in Matrem Filii DEI *electa, speculum est sinè macula. Tuas tamen Tibi ostendit. inspice*

O! MARIA sinè macula concepta. fiat cor meum immaculatum, ut plùs amet & honoret Te apud omnes, quàm ulla creatura Te possit inhonorare! ut vitam Tuam sinè macula inchoâsti. ora pro me apud Filium Tuum JESUM, ut ego meam sinè macula finiam. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

IX.

IX. DECEMBRIS.

Sanctus SYRUS *zelosus fidei prædicator, pro veritatis testimonio mortuum excitavit, & cum diabolo semper inimicitias gessit. Cave eum & vicinum habere, & amicum.*

Ora pro me, ut nunquam vel leviter consentiam diabolo, & operibus ejus; sed sicut in Baptismo ei abrenunciavi, ità ejus sim inimicus usq; ad mortem. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1

X. DECEMBRIS.

Sancta EULALIA *duodennis, Angelis comitata, judicem impietatis arguit: ei blandienti in faciem exspuit: flagris cæsa in igne obiit. A Puella hac disce, unum DEUM amare.*

Propulsa è tepido pectore meo pigrum & semivolens nolens cor; & impetra mihi cor amore DEI constanter ardens; nè in decretoria æternitatis hora à DEO evomar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XI. DECEMBRIS.

Sanctus DANIEL, *annos viginti novem in columna stans, piô superciliô terrena omnia despexit; ut conversatio ejus vere fuerit in Cœlis. Ubi Tua est? væ si in terra?*

Ora pro me, ut constanter stem in amore & timore DEI, & juva nè cadam; ut sic stantem mors sancta inveniat, & deponat in sinu JESU mei. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XII. DECEMBRIS.

Sanctus SPIRIDION *ex opilione Episco-*

pus

pus factus, pauperes pavit: cum opes deficerent, ad ejus preces DEUS serpentem in aurum mutavit. Vide, quàm DEO sit grata misericordia!

Impetra à Patre misericordiarum & misericordiæ Matre pro me in agone meo æternam misericordiam; ut me morientem ponat inter æternùm viventes. Hoc idem, &c. *pag.* 1.

XIII. DECEMBRIS.

Sancta LUCIA, *acceptô ad Sanctæ Agathæ tumbam nuntiô de morte pro Christo obeunda, cum matris venia omnia sua pauperibus distribuit, quare in igne gladiô necata. Nullibi opes prosunt magìs, quàm in manibus pauperum.*

Per illos Tuos ignes oro, impetra mihi, ut non ponam fiduciam meam in opibus terrenis, sed lætus illas expendam; ut pro illis in morte recipiam divitias Cœlestes. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XIV. DECEMBRIS.

Sanctus NICASIUS *Episcopus Rhemensis, irruente Attilâ, ùt Pastorem decet, hosti obviavit, ostenditq; gregi, quomodo pro peccatis & DEO deberent cadere. Brevi morte æternam redimere, prudentis est.*

Ora pro me, nè iram DEI & hostes in me peccatis meis armem, sed pœnitentiâ placem, ut moriens talis inveniar, qualibus felix æternitas promissa est. Hoc idem mihi, &c. *p.* 1.

XV. DECEMBRIS.

Sancta ANCILLA *apud Iberos serviens,*

divino

divino obsequio se totam tamen impendit; unde Reginæ sanitatem, Regi fidem, & Hispanis libertatem contulit. Ubiq; DEO servire potes, si velis.

Ora pro me, ut anima mea impigre serviat JESU & MARIÆ in vita, ut etiam in morte sit in manibus JESU & MARIÆ. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVI. DECEMBRIS.

Sancti ANANIAS, AZARIAS, & MISAEL *propter* DEI *cultum in fornacem Babylonicam missi,* DEO *benedixerunt. Hoc fidelis amici est.*

Orate pro me, ut semper mori malim, quàm DEUM offendere, in adversis æquè ac prosperis DEO benedicam, nè mittar in fornacem æternitatis damnatorum. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XVII. DECEMBRIS.

Sanctus LAZARUS *Christo tam fidelis fuit, ut ab ipsomet Amicus diceretur: A Judæis propter Christum præter alia exilium passus. Utrum melius: Christi, an mundi amicum esse! elige.*

Veni ad me & unà cum Sanctis Sororibus Tuis juva, ut in vita, morte & judicio inveniar amicus JESU. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XVIII. DECEMBRIS.

Sanctus MODESTUS *à cohæredibus suis in Ægyptum venditus, Jerosolymis deinde Patriarcha factus, venditoribus suis benefecit. Disce diligere inimicos.*

Impetra

Impetra mihi, ut illud Christi præceptum: *Diligite inimicos vestros*, animo altè imbibam, & opere exequar: ut in morte mea etiam me diligat JESUS. Hoc idem mihi, &c. *pag* 1

XIX. DECEMBRIS.

Sanctus MEGENGOR *Comes & Dux militum, occisô in bello Bohemico filiô, mortem & æternitatem meditando, se ad mortem paravit. Te mortalem credis, & ad mortem non paras?*

Ora pro me, ut seria & frequens mortis & æternitatis memoria me doceat bene vivere, & quod maximi refert, bene mori, à quo pendet æternitas. Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XX. DECEMBRIS.

Sancti AMMON & *Socii, militem territum, & in fide labantem animârunt: unde ad supplicium rapti, gaudentes, quòd Cœli civem servâssent. Væ illis, qui perdunt!*

Adeste mihi tum in peccandi occasionibus, tum in agone ultimo, & labantem omni ope excitate; ut me DEO servetis, & in beatam æternitatem deducatis. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti. &c. *pag* 1.

XXI. DECEMBRIS

Sanctus THOMAS *primus Indiarum Apostolus, incredulus priùs, sed vulneribus & latere Christi palpatis ità accensus, ut pro eo sagittis & hastâ confixus sit; Finis coronat opus.*

Obtestor Te per amabile Cor JESU, impetra mihi, ut vitam bene finiam, & quæ nunc

credo de gloria æterna, illic lætus videam, & experiar. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXII. DECEMBRIS.

Sancta ANASTASIA *cum aliis navi perforatæ propter Christum imposita, S. Theodora velificante portum tenuit, ubi palo alligata exusta est. Cœlum suis non deest.*

Adjuva me precibus Tuis, & veni in auxilium mihi, nè mala navi navigem, neve naufragium patiar in immenso æternitatis mari. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIII. DECEMBRIS.

Sanctus SERVULUS *paralyticus, inter dolores psallendo, Deo gratias agendo, & lectione sacra, & suam stipem pauperibus largiendo, ad bonam mortem se parabat. Tu fac similiter.*

Effice apud DEUM, ut omnes mei dolores ad mortem bonam me præparent; ut nimirum eos libenter patiar, quia DEO ità placet. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXIV. DECEMBRIS.

Sancti ADAM & EVA *primi peccatores quidem Cœlum perdiderunt; sed & primi pœnitentes per Christi merita receperunt. Sequeris peccantes? sequere & pœnitentes.*

Adeste mihi nepoti vestro inter tot vitæ hujus pericula, & maximè in ultimo agone, ne me vaferrimus serpens superet, & à Cœlo avertat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXV.

XXV. DECEMBRIS.

JESUS Christus, Filius DEI & Hominis, verus DEUS Homo hodie ex MARIA Virgine natus Bethlecmi, mundi Salvator: pannis involutus, reclinatur in præsepio. Nisi hìc amas, homo non es.

O! DEUS in stabulo nascens, ut pro me moriaris in cruce! primam gratiam peto è Te, parvule DEUS, ut morientem suscipias me, vivens & moriens & postea æterno amplexu amplectar Te! ut Francisci Tui lachrymis alloquar Te, Ignatii Tui silentiô amem Te, Catharinæ Tuæ Senensis osculis desiderem Te, Bernardi Tui ore osculer Te, Josephi Tui æstimatione admirer Te, MARIÆ dilectissimæ Matris Tuæ corde hauriam Te, omnibus Angelorum obsequiis demerear Te, omnibus Tuo & MARIÆ cordi devotis cordibus diligam Te, & deniq; in ardentissimi amoris actu emoriar Tuus! Hoc idem mihi, &c. *pag.* 1.

XXVI. DECEMBRIS.

Sanctus STEPHANUS *Diaconus ab impiis Judæis lapidatus, primus pro Christo sanguinem fudit; exemplô Christi pro lapidantibus se, oravit. Disce, non supra hominem est, inimicis ignoscere.*

Sancte STEPHANE Prothomartyr, impetra mihi, ut exemplo Tuo omnia odia in dulci DEI amore absorbeam: ut anima mea in morte Cœlos apertos, & videat, & introëat. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXVII.

XXVII. DECEMBRIS.

Sanctus JOANNES *Evangelista discipulus quem diligebat JESUS, quiq; sub cruce MARIAM accepit in sua, nihil aliud usquè ad mortem suos est adhortatus, quàm:* Filioli diligite alterutrum. *O! hanc unam lectionem bene addiscam.*

Ora pro me, ut ex hac hora MARIAM accipiam in cor, animum, cogitationes, verba & opera mea: & illi de me moriente dicat JESUS: *Ecce filius Tuus*, & illa tunc me recipiat in sua, & Filii æterna tabernacula. Hoc idem mihi impetrate omnes Sancti, &c. *pag.* 1.

XXVIII. DECEMBRIS.

Sancti INNOCENTES *ab Herode, ut sic simul Christum, quem Magi quærebant, tolleret, occisi sunt in Bethleem Judæ. Quanta furia ambitio! & tu eam foveas?*

Adeste mihi morienti, & me cingite, sancta Legio tot millium Innocentium; ut nihil possit contra me in illa hora inimicus, sed per Vos DEO sistar immaculatus. Hoc idem impetrate omnes Sancti, &c. *pag* 1.

XXIX. DECEMBRIS.

Sanctus THOMAS *Archi Episcopus Cantuariensis, pro Ecclesia exilium & mortem passus: ut suis caveret, hostibus obviàm ivit; suis è feretro benedixit, & Regi pœnitens cor impetravit. Qui verè amat, in finem amat.*

Benedic etiam è Cœlo mihi per mortem abeunti

anti in tumulum, & impetra mihi cor pœnitens, ut ad palmam possim æternam aspirare. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

XXX. DECEMBRIS.

Sanctus PHILARETUS *Adolescens, ob formæ decus multùm hominibus, ob virtutem Superis plurimùm amabilis, maluit per tormenta formam, quàm fidem relinquere. Hæc pulchritudo vera est, utì altera vana.*

Impetra animæ meæ virtutis pulchritudinem, quâ DEO placeam, ut in amabili pulchritudinis fonte DEUM æternum contempler. Hoc idem mihi impetrate &c. *pag.* 1.

XXXI. DECEMBRIS.

Sanctus SYLVESTER *Papa Constantinum, monitu SS. Petri & Pauli accersitus, baptizavit, & lepram ejus extinxit. Peccati leprâ vis liberari? lachrymis baptizare.*

Extingue in me omne id, quod exitio esse animæ meæ potest: & aufer à me quidquid oculis DEI displicere potest.

Hodie annum, mi DEUS hunc finio, dum multi per orbem finiunt vitam: da mihi felicem diem & horam ultimam ultimi anni vitæ meæ. Doleo de omnibus, quæ hoc anno & aliàs commisi, malis; & quæ ullus commisit: gratias ago de omnibus, quæ à Te hoc anno & aliàs accepi, bonis; & quæ accepit ullus: gaudeo de omnibus, quibus hoc anno â Cœlo & terra cultus es honoribus: & per omnium Sanctorum,

ctorum, quos DEUS hoc anno & unquam beavit, intercessionem. Supplex peto felicem, exitum ex his annis momentaneis, & felicem; ingressum ad immortalem æternitatem, in qua JESUM & MARIAM cum omnibus Angelis & Sanctis æternùm amem & laudem. Hoc idem mihi impetrate, &c. *pag.* 1.

FESTA MOBILIA.

Ad Sanctum tui Nominis quo die occurrit, vel semel in Mense.

SAncte N. cujus patrocinio & nomine jam ab ipsa hora baptismi me DEUS munivit, respice ex illa æternæ securitatis Urbe me hìc inter quotidiana æternùm pereundi pericula exulem, & juva, ut felicem hujus Nominis catalogum nomine meo augeam in libro vitæ. Tolle à me quod me impendit, & impetra id, quod mihi magìs expedit ad salutem, nec me desere, usq; dum unà Tecum coràm DEUM videam, & amem in æternum.

Feriâ IV. Cinerum.

ADrepo cinere aspersus ad te, cùm sim pulvis & cinis, DEUS meus, qui Tuum altare olim cinere mundari jussisti, da mihi felicium & infelicium cinerum sapienter meminisse,

, ut à cineribus damnatorum discam te time-
; cineres verò Sanctorum ignem amoris Tui
me custodiant. Munda cor meum, velut
uum altare, veræ pœnitentiæ cinere, & ac-
pe omnia mea jejunia, quæ cum jejuniis JE-
U, & MARIÆ, & omnium Sanctorum con-
ngo, ut tibi placeant: & me mensæ Tuæ Cœ-
estis post hanc vitam facias participem, qui ve-
è pœnitentibus pro cinere das coronam.

Feriâ V. Cœnâ Domini.

PRostratus coram Te, ad Judæ pedes prostra-
to, divinas Tuas manus adoro & exosc...r:
meumq; cor ad Apostolorum pedes à Te lavan-
dos abjicio; ut illud simul abluas, & Euchari-
ticô Tuô epuleô deinde saties. O! amabilis-
sime JESU! gratias Tibi ago, pro infinito illo
amore, quo in hoc Sanctissimo SACRAMEN-
TO Te totum mihi cum corpore & anima,
carne & sanguine, Divinitate & Humanitate
dedisti. Da, ut vicissim me totum Tibi red-
dam; & ut in fine vitæ meæ non nisi hoc SA-
CRAMENTO munitus, ingrediar viam æter-
nitatis.

Feriâ VI. Parasceve.

SAlve JESU Nazarene, Rex Judæorum, *Ve-
speri* pedes lavans, orans, sanguinem sudans,
capte, vincte: *Nocte* illa apud Annam & Cai-
pham: *Manè facto* in aulis Pilati & Herodis ac-

cusate, percusse, illuse, flagellate, spinis coronate: *Horâ sextâ* crucifixe. per *tres horas* pendens, & Sole obscurato Patrem, Matrem, Joannem, conversum latronem allocute: *horâ nonâ* voce magna clamans & exspirans, *serò* è cruce deposite ac sepulte! Ecce horas omnes Tuis cruciatibus mihi implevisti; Tuæ sint ergo omnes & singulæ illæ horæ. Rogo Te per illum amorem, quo me dilexisti usq; in finem, da mihi gratiam illam efficacem, ut Tè omnibus horis vitæ meæ amem, nec amare prius desinam, quàm vivere.

DIE PASCHATIS.

SAlve JESU, gloriosissime Victor mortis, morte hodie resurgens! ô! vere Agne, qui abstulisti peccata mundi, aufer & mea: qui mortem nostram moriendo destruxisti, destrue & meam: qui vitam resurgendo reparâsti, repara & meam, Regna in me, nè regnet in me peccatum: & da mihi, ut totus vivam Tibi mihi, mundo, & carni planè mortuus: ut ita hora mortis meæ sit felix Pascha, hoc est, transitus ad vitam in Urbem illam, per cujus vicos tuum cantabitur Alleluja.

DIE ASCENSIONIS.

ADoro Te, victoriose Triumphator JESU qui ascendens hodie in altum, captivam ducis captivitatem; ô! illam etiam captivitatem

in triumpho Tuo duc captivam, quæ me captivum tenet nè liberè Te amem. Ideo flecto genua mea ſupplex, & rogo per admirabilem Aſcenſionem Tuam, ut benedicas mihi in benedictionibus dulcedinis Tuæ, & trahas poſt Te: ut ſicut Sancto Tuo Ignatio, ità & mihi, ſordeat terra, dum Cœlum aſpicio: ut & Te in hora mortis meæ ſequar in Cœlum.

Die Pentecostes.

VEni ô! amor DEUS! veni Numen & Lumen! mitte ignem Tuum in omnia oſſa mea, & erudi me. Da linguas igneas, & doce me tacere & loqui: lava, riga, ſana, flecte, fove, rege, ſordidum, aridum, ſaucium, rigidum, frigidum, devium cor meum: & fac, ut DEUM ſuum verè amet. Da mihi amorem, ut exurat in me multitudinem peccatorum meorum, & accendat; ut Tibi in holocauſtum nunc & in hora mortis meæ & in æternum ardeam.

Feſtô Sanctiſſime TRINITATIS.

CRedo, ſpero, amo Te Sanctiſſima TRINITAS, unus DEUS! offero Tibi pro libello ſupplici omnia merita JESU, MARIÆ, omniumq; Sanctorum, & rogo, ut Tuis beneficiis bene utar ſemper: ut nunquam Te offendam; ut ſemper faciam, quæ Tibi placent; ut Te Sancto timore timeam, & perfecto amore amem, totâ vitâ meâ, & in hora mortis meæ, uſque dum Te videam, DEUS Trine, & Te

fruar: ô! Bonitas infinities infinita in æternum.

Festô CORPORIS Christi.

DOmine JESU, in hoc amoris SACRAMENTO abscondite, da ut hoc SACRAMENTUM sit mihi amoris veri gymnasium, qui me totâ vitâ Tibi placita quærere tuisquè sanctis inspirationibus semper obsequi doceat. Fac ut quidquid agam instinctu amoris Tui, quò ad recipiendam in hoc SACRAMENTO Tuam gratiam semper magìs idoneus reddar, Fac ut semper ad hoc SACRAMENTUM Tuum sumendum me præparem, quasi ultimatè & pro viatico illud sumpturus, ut deniquè sicut per illud futuræ gloriæ nobis pignus dedisti ità per illud particeps fiam æternæ gloriæ Tuæ, Amen.

EXAMEN CONSCIENTIÆ:

Cujus quinque puncta ad venerationem quinque Sacratissimorum Christi Vulnerum sunt accommodata.

Osculare Vulnus Manûs dexteræ & gratias age.

ADoro Te, DEUS meus, & gratias Tibi ago medullitus pro omnibus beneficiis, quæ Filii Tui sanctissimæ Humanitati, amantissimæ ejusdem Matri, & Sanctis omnibus tam

paternè

paternè contulisti. Benedicta sit Omnipotentia Tua, quæ me creavit; Charitas Tua, quæ me redemit; Divina Providentia Tua, quæ omnibus vitæ meæ diebus, etiam hodierno, benignissimè conservavit me. In gratiarum actionem perfectam, offero Tibi laudes militantis & triumphantis Ecclesiæ, merita JESU Filii Tui, Salvatoris mei, sanguinem ejus infinitè pretiosum, quem in cruce è vulnere Manus dexteræ effudit: per quam in principio creavit Cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.

Osculare vulnus Manûs sinistræ, & pete lumen.

DEUS cordis mei, obsecro Te per sacratissimum Sanguinem Filii Tui, qui ex vulnere Manûs sinistræ pro nobis manavit; da mihi gratiam copiosam agnoscendi, & deflendi peccata mea, ut in die judicii, non ad sinistram, sed ad dexteram Judicis per Sanctos Angelos Tuos collocari merear.

Osculare vulnus Pedis sinistri, & conscientiam discute.

HEu mihi, quàm longè aberravi à via mandatorum Domini, etsi viam illam cruentis vestigiis mihi Christus designârit. Quàm turpiter, ac frequenter, etiam hodie, sum prolapsus! *(expende quid deliqueris verbo, cogitatione, & opere, ac omissione.)* O! me miseram, & meâ culpâ perditam oviculam. Sacratissimus

Sanguis è vulnere sinistri Pedis scaturiens, deleat vestigia pedum meorum, queis aberravi à DEO meo.

Osculare vulnus Pedis dextri, & contritionem elice.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, ut ad Pedes Domini, cum Magdalena, defleam peccata mea? Tibi soli peccavi, & malum coram Te feci. Doleo medullitus, quòd Te offenderim, mi DEUS! qui es summum Bonum. Amplector Pedes Filii Tui, & per vulnus Pedis dextri rogo Te, æterne Pater, ut mihi dicere digneris, quod olim Magdalenæ dixit Filius Tuus: *Remittuntur tibi peccata tua.*

Osculare vulnus Cordis, & emendationem propone.

UNio cor meum cum vulnerato Corde mei JESU. Cor JESU sit caverna maceriæ, in qua habitet anima mea, foramen petræ me sustentantis. Nihil ità detestor, nihil ità deinceps fugiam, quàm peccatum; quia illud displicet DEO meo. Paratum cor meum DEUS, paratum cor meum, DEUS propitius esto mihi peccatori, Amen.

FÆDUS ANGELICUM

Coaluit non ita pridem piorum hominum societas, ope operaq; Angelorum tutelarium, beatam

tam sibi invicem mortem expetentium, his adjungi volenti, hæc tria præstanda sunt sine tamen obligatione vel minimi peccati.

Primò *decernens; quotannis semel, in eorundem honorem, ad sacram synaxim accedere; ut tibi & fœderatis omnibus ipsos concilies in horam mortis, id tacitè fieri potest, post acceptum Panem Cœlestem hâc utendo.*

FORMULA.

MI amantissime & humanissime Angele, Custos corporis & animæ meæ, cujus me tutelæ commisit bonus DEUS omni tempore; sed potissimum in vitæ meæ termino. Doleo ex animo, quod tibi usq; eò ingratus hactenus vixerim: ideoq;, in conspectu divinæ Majestatis, sanctè nunc statuo ac decerno, Te, cujus præsidio, secundum JESUM & MARIAM, felicem ex hac vitâ discessum præcipuè spero, religiosius deinceps colere, impensiusq; revereri & amare. Unicè deinde id à Te peto, quod Tu unicè mihi præstare desideras: adsis mihi in horâ mortis meæ, omnibusq; eum in finem mihi fœderatis. Ad hoc obtinendum, propono firmiter, (1) semel minimum per annum, honori Tuo, sacrosancto Christi pasci corpore: (2) sacellum quoquè aut imaginem Tuam piè visere: & (3) quotidie piarum Tibi precum certum pensum persolvere. Exaudi me, quem tantopere diligis: confirma me in prælio isto

ſupremo, unde ſalus mea æterna dependet: deduc me ad Cœlum; quia ad hoc ductor mihi datus es, Amen.

Secundò *ſtatues, ſemel ſaltem quotannis viſere locum, in quo erit imago Angeli Cuſtodis: aut ſi nullus ici talis, ubi moraris, adire ſacellum, aut Imaginem B Virginis, quam honorabis, uti Reginam Angelorum.*

Tertiò *propones, ad impetrandam gratiam benè moriendi, quotidie ſemel recitare* Officium parvum *vel* Litanias de S S. Angelis, *aut* Proteſtationes S. Caroli, *aut (ſubjuncta* oratione Dominicâ, *ac* ſalutationes Angelicâ) *preculam ſequentem.*

Angele Dei, quem ſingularis Dei providentia meum Cuſtodem eſſe voluit, illumina me, protege me, deduc me, & omnes mihi fœdere conjunctos, in viâ æternitatis felicis, & in hunc finem ſubveni nobis in hora mortis noſtræ, A.

Qui neſcit legere, dicet quotidie ter Pater *&* Ave *in honorem S S. Angelorum, ad exorandum fœderatis toto orbe omnibus eorum in momentum ultimum præſens & ſingulare ſubſidium*

Si cui hæc minùs prebentur, iis minimum in ſacrificio Miſſæ, dum ſacra hoſtia attollitur, dicet: Mi DEUS, in Manus Tuas commendo animam meam, & animas omnium fœderatorum meorum, ſuſcipe illas in horâ mortis noſtræ.

INDEX DEVOTIONUM SELECTARUM.

Oratio

Ad

Oratio-

Post has Devotiones
SELECTAS

Sequitur Calendarium Exhibens Methodum Practicam bene moriendi, Exemplis Sanctorum in singulos Anni dies illustratum, quod devotus Lector asvescat indies legere pro impetranda sibi felici morte.